

DE  
TEMPORUM GRAECORUM ANTIQUISSIMORUM  
RATIONIBUS

SCRIPSIT

IOANNES BRANDIS

---

BONNAE  
APUD ADOLPHUM MARCUM.  
MDCCCLVII.



Iam diu electa et explosa est eorum opinio, qui vetustas Graecorum fabulas eodem fere loco habebant, quo certissimum rerum heri gestarum nuntium, neque dubitabant eorum temporum definitionibus, quae primam Olympiadem antecedunt, eandem auctoritatem tribuere atque probatissimis recentiorum fastorum rationibus. Sed cum nostra aetate satis constet vix ullam ex variis illis antiquorum regnorum tabulis, quorum specimina quaedam chronographi christiani oblivioni eripuerunt, commendabili rerum memoriae ortum debere, inter plurimos harum literarum peritos convenit tam multas Troianae calamitatis, reditus Heraclidarum, aliorum temporum constitutiones, a scriptoribus Graecis excogitatas, novis commentis augere nemini licere, immo in eis esse subsistendum, quae Alexandrini grammatici Eratosthenes et Apollodorus proposuerunt, quippe qui ex uberrimis fontibus certissima quaeque haurire potuerint ideoque in re tam obscura a probabilitate quam proxime abesse debeant. (cf. Meier in Ersch u. Gruber Encyclop. III, 3, 167. Fischer gr. Zeittafeln p. 3). Ex eis, qui ultra procedere ausi sunt, alii sicut Clintonus (F. H. I, 138) suorum calculorum probationem non nacti sunt, alii sicut Dunckerus in historia Graeca I, 205. 231 singula tantum momenta adierunt, sed ea tam summatim delineaverunt, ut vix ostendere potuerint se scire semel unum singulum esse.

Quae cum ita sint, vix operae pretium facturus esse videbitur, qui iterum illorum calculorum errores perlustrare voluerit; certe ad ipsam vetustorum temporum illustrationem ea disquisitione quidquam afferri posse negabitur. At tantum quidem quisque libenter concedet Graecarum literarum et Graeci ingenii cognitionem multum profecturam esse, si diversarum istarum rationum originem explicueris, si aetatem, qua illae tabulae conscriptae, illi numeri exputati sint, definiveris, denique quae rationes inter multifarios calculos intercedant, demonstraveris. Quorum quod primo loco posui iam C. Müllerus in introductione in fragmenta chronologica, quae ad calcem Herodoti edidit, felicissima coniectura sese eruisse et sibi et aliis, veluti Dunckero et Gutschmidio (cf. commentationem de rerum Aegyptiacarum scriptoribus Gr. in Philologo X, p. 669) persuasit. Profecto profligatam rem haberemus, si vera essent, quae Müllerus statuit, vetustorum temporum rationes a Graecis omnes ad cyclorum amusim constitutas esse et mirum earum dissensum inde fluxisse, quod omnes eodem 63 annorum lunarium cyclo usi fuerint, sed ex vario quiske cyclorum numero propriam tur-

rim exaedificaverit; istos orbes denique ex prima inde Olympiade ita exputatos esse, ut eorum initii insignia fabulosae aetatis momenta incident. Sententiae tam subtiliter exco-  
gitatae quis obloqui auderet, si constaret 63 annorum circuitu Graecos unquam annum lunarem cum solari anno exaequasse, vel testimoniis confirmari posset ex tali periodo eorum calculos pendere, si denique dubium non esset, quin iam antiquis temporibus de primo Olympiadum anno tamquam firmissimo omnium fastorum fundamento inter Graecos convenerit. Sed eorum omnium nihil non dicam certum, sed ne probabile quidem est. Iam primum enim diu ante Timaeum primum primae Olympiadis annum definitum fuisse vestigium nullum exstat. Deinde magnos quos vocant annos annorum 2, 4, 8, 12, 19, 59, 76, 82, 304 apud Graecos alios alia aetate vel in usu vel notos fuisse Censorinus d. d. n. 18 et alii auctores sunt (cf. Ideler Chronologie I, 266 sq.), de annorum 63 autem periodo nusquam ne verbum quidem est. Nam in Boeotia ex eo cyclo magna Daedala celebrata esse mera O. Mülleri coniectura nititur. Profecto permirum foret, si periodum, quam ex mente Mülleri in nulla fere Graeca urbe non usurpatam fuisse nobis fingimus, veluti arcanum alius alii per manus tradidisset, Censorino vero ceterisque, qui in diversas annorum notationes inquirebant, ignota mansisset.

Neque illud cuiquam fraudi sit valde cavendum est, quod rationibus ipsis eani cyclorum rationem manifestari videamus. Etenim aliud est periodum, de qua aliunde satis constat, in temporum notationibus deprehendere, aliud omnia excutere, dum cyclus inveniatur, atque tum demum in usu eum fuisse demonstratum ire. Ea conditione nisi omnia, vel certe longe plurima quadrant, frusta quaesiveris. Quod quatenus Müllerus asse-  
cutus sit, variae rationes aerae Troianae, cum cyclorum rationibus collatae, illustrabunt. Quae quamquam ex omnibus commodissimas et facillimas sese praebuerunt, tamen ne ex eis quidem plures quam tres repertae sunt, quae, cyclorum calculis ultro respondere videantur. Et illae ipsae videntur tantum. Etenim negari quidem nequit expeditionis anni primum ex marmoris Parii rationibus septies, ex Herodoti numeris, quales scrip-  
tor vitae Homeri expressit, octies, ex Duridis denique calculis novies sexaginta tribus annis a prima Olympiade distare, sed notandum est Graecos non ex anno expeditionis sed ex anno Troiae captae rationes iniisse. Alias difficultates praetermitto; ipse vide quanta cum sollertia Müllerus omnes ceteras opiniones de Troiani belli aetate in Pro-  
crustae lectum coegerit.

Abiecta ergo spe fore ut origines variarum notationum antiquissimorum temporum, quae apud Graecos circunferebantur, uno ictu explicaremus, tota farrago iterum perlustranda et experiendum erat, num alia via aliquid proficeremus. Neque ulla aptior videbatur quam ea, quae temporis cursum secuta ex primis obscurae famae initii ad

überioris memoriae aetatem progreditur. Itaque praeter cetera investigandum erat, quo tempore apud Graecos illas regnorum tabulas primum exaratas fuisse probabile sit.

Utcunque enim de aetate artis scribendi iudicaveris, non video quomodo evinci queat iam diu ante primam Olympiadem regum, sacerdotum, magistratum regna in fastorum rationem continua serie conscripta esse. Nam de illorum sententia actum est, qui cum Clintono (F. H. I, X sq.) regum Lacedaemoniorum et sacerdotum Argivarum ἀρχηγαφάς iam reditus Heraclidarum et belli Troiani tempore literis consignatas fuisse contenderunt. Atque id ipsum, quod ea aetate, qua veteris historiae fontes primum colligebantur, ex tempore ante primam Olympiadem nulla victorum nomina in tabulis Olympicis reperta sunt, quamquam iam ex Iphiti et Lycurgi temporibus ludi celebraabantur, testimonium satis apertum est, non ante initium saeculi octavi talem memoriam condere in usu fuisse. Nam Dunckeri coniectura (in h. Gr. I, 353) Iphiti Olympiadem ab Olympiade Coroebi diversam non esse atque Iphitum cum Lycurgo ut induciarum ita ludorum conditorem fuisse, tum demum probabilitatis speciem induet, si demonstrari poterit octavi saeculi initio Lycurgum leges tulisse; nam cetera argumenta quibus Dunckerus commentum firmare studet, lubrica sunt.

Sed ne primas Graecorum temporum notationes altius provehamus, quam in primae Olympiadis saeculum, maximo opere ipsarum tabularum rationes prohibent. Regum Atheniensium, Argivorum, Sicyoniorum fasti in censum venire non possunt, quippe qui serae fabricationis signa nimis aperte in fronte gerant. Sed dubitari posset de Corinthiorum et magis etiam de Lacedaemoniorum regnis inde a reditu Heraclidarum usque ad pr. Ol., quorum memoriam tamquam firmissimum adminiculum ad Graecorum temporum emendationem ab Alexandrinis habitam fuisse scimus. (cf. O. Müller Dorier I, 132.) Verum de Corinthiorum tabulis ad ea remittimus, quae infra de earum compositione dicturi sumus, de Lacedaemoniorum calculatorum fide extemplo iudicium feremus. Etenim annorum 318 spatio usque ad a. nonum ante pr. Ol. (1103—785) octo Proclidarum novem Euryysthenidarum regna respondent, ita ut unicuique pro rata parte vel  $39\frac{3}{4}$  vel  $35\frac{1}{3}$  a. obtингant. Quod quantopere naturae legibus oppugnet, eorum regnorum comparatio docet, quorum tempora certissimis terminis circumscribere possumus. Etenim si quindecim regna a Cleomene I (520 a. Chr.) usque ad Cleomenem III (236—219) in censum vocamus, singulis a.  $20\frac{1}{16}$ , si decem regna a Leotychide (491) ad Agidem III (244—240) supputamus, singulis a.  $25\frac{1}{10}$  obveniunt (cf. Clinton F. H. II, 205 I, 340). Quae cum ita sint, has tabulas non magis quam ceteras, quas commemoravimus, aetati tribueris, qua incorrupta earum rerum memoria unde unde hauriri etiam poterat, sed prima Olympiade seriores eas confidenter pronuntiaveris. Vix est quod moneam idem iudi-

candum esse de catalogis sacerdotum Iunonis et Neptuni, quos Argivi et Halicarnassenses adservabant, quamquam illi nomina et tempora ex aetate inde bellum Troianum antecedente perhibebant (cf. Hellanici fr. 53 ed. Müller), Halicarnassenses vero, per quot annos Telamon, Neptuni filius in divi patris templo sacra fecerit et quibus spatiis successorum alius ab alio munus acceperit, usque ad aetatem Olympiadis 22, accuratissime in lapide exaratum habebant. (Cf. Boeckhii C. J. II, 2655.) Unum denique testimonium, quod pro ea sententia fortasse proferri posset, fastos Atridarum iam Homero notos fuisse, prorsus nihil valet. Nam qui in hac quaestione ullius momenti esse opinatur, quod in Odysseae III. v. 305 Aegistho regnum septem annorum tribuitur, sanctorum numerorum rationem nescit. Itaque termino constituto quo ultra progredi non licet, iam experiendum est, num quaestionem angustioribus finibus coercere possimus.

Ex eis, qui ante Herodotum in componenda vetere Graecorum temporum historia laudem quaesiverunt, Cadmus in explicandis Miletii et Ioniae originibus substitit, Dionysius Milesius et Xanthus Graecas res ne tetigisse quidem videntur, Hecataeus in opere, quo heroum γενεάς comprehendit, accuratam temporum rationem vix reddiderit, Charon denique et Hippys Reginus uterque quidem annales scripserunt, ille Lacedaemonios et Lampsacenos \*), hic chronicorum libros, qui uberiorem materiam continuisse videntur; sed ea praeter exiguae reliquias omnia interierunt. Nam neque fr. 3 Parisinae collectionis (Fr. h. gr. II. p. 13 sq.), quod tres ex vetustis Corinthi regibus enumerat et duorum regna notat, neque fr. 5, ex quo disceremus, qua aetate Palicorum in Sicilia fanum aedificatum fuerit, si modo verba sana essent, cum aliqua confidentia Hippyi tribui potest.

Ita sit, ut rerum scriptores plerosque iam Persici belli aetate et paullo antea Graecorum temporum rationibus operam navasse sciamus, quid expedierint, nesciamus. Sed magni momenti id non fuisse, ex Herodoto colligi posse mox apparebit. Nam ad eum

\*) In catalogo operum Charonis apud Suidam: ἔγραψεν Αἰθιοπικὰ· Περσικὰ ἐν βιβλίοις β'. Ἐλληνικὰ ἐν βιβλίοις δ'. περὶ Λαμψάκου β'. Αἰβυζά· ὥροις (cod. Ṅροις cor. Schweighäuserus) Λαμψακηνῶν ἐν βιβλίοις δ'. ποντίνεις ἡ ἀρχοντιας τοὺς τῶν Λακεδαιμονίων cct. postrema verba corrupta esse iam Westermannus (in nota ad Vossii historicos Graecos p. 21) vidit. Ille reposuit Λαμψακηνῶν, Gutschmidius (in Philologo X, 523) verbis transpositis ὥροις Λακεδαιμονίων ἐν βιβλίοις δ'. ποντίνεις (ἡ ἀρχοντιας) τοὺς τῶν Λαμψακηνῶν. Sed cum fr. 9 non minus ὥροις Λαμψακηνῶν, quam fr. 11 ὥροις Λακεδαιμονίων vindicandum sit, neutra conjectura ferri potest. Nam Gutschmidii sententia Charonem de Cardianorum clade (fr. 9) in annalibus Lacedaemoniorum egisse, ne speciem quidem probabilitatis habet. Eam difficultatem effugies et corruptelae originem demonstrare poteris, si scripseris ὥροις Λαμψακηνῶν ἐν βιβλίοις δ'. ποντίνεις ἡ ἀρχοντιας τοὺς τῶν Λαμψακηνῶν· ὥροις Λακεδαιμονίων. Nam ὅμοιοτέλευτον scribam excusat. Ceterum per hanc occasionem adnoto verbis ποντίνεις, ποντίνειον cum v. ποῶτος nihil commune esse; nam ex eis locis, in quibus ἵὸν ποντίνειον cum foco publico et igni nunquam cessante componitur (cf. Wachsmuth Hellen. Alterthumsk. I, 421. Hermann Gr. Staatsalt. 5, 12. 74, 1), verbum a voce ποῦ derivandum esse appetat.

nunc transeundum est; Hellanici scripta, quorum Atthis diu post Herodoti historias edita est, (ut ex fr. 80, quod res anni 406 tangit, apertum fit cf. Dahlmann Forschungen II, 124), cetera scriptori Halicarnassensi suis commentariis occupato vix nota fuerint, paullo releganda sunt.

Si ulla Graecorum temporum memoria Herodoti aetate iam literis fixa fuisse, exspectandum est scriptorem numeros accuratissime expressurum, cum barbarorum rationibus comparaturum et quotiescumque ab eis discederent, varietates notaturum fuisse. Sed eorum apud Herodotum nihil reperimus. Summatim contra et tamquam suspensa manu ea omnia absolvit. Herculem nongentis fere annis sua aetate superiorem, Panem octingentis, sed Troiano bello inferiorem ponit II, 145: Ἡρακλέῃ δὲ τῷ Ἀλκμήνης πατὸς εἰνακόσια ἔτεα (ἔστι ἐς ἐμέ), Πανὶ δὲ τῷ ἐκ Πηνελόπης . . . ἐλάσσω ἔτεά ἔστι τῶν Τρωϊκῶν, πατὰ τὰ ὀκτακόσια μάλιστα ἐς ἐμέ. Verum neque quem terminum verbis ἐς ἐμέ intelligi voluerit, neque quot annorum spatium inter Trojanum bellum et Panem cogitaverit, distinete explanat, id tantum innui poterit Panem Penelopes filium altius una aetate ab illa expeditione non removendum esse.


Itaque cum temerarium esset in re tam ambigua certum cursum sequi velle, extremis terminis propositis optionem dabimus, dum aliunde res discepetur. Etenim si in ea definitione suae aetatis initia scriptori ante oculos fuisse putamus, Herculem in anno fere 1381 Panem anno fere 1281 posuerit. Nam reiecto Pamphilae testimonio, Halicarnassensi Dionysio de Thucyd. (c. 5) scriptorem paullo ante bellum Persicum natum esse (i. e. ante Xerxis expeditionem cf. Diodor. II, 32) credimus. Sin tempora ad eum annum revocavit, quo opus absolvit, aetas Herculis a. 1324, Panis a. 1224 incidit (cf. Gutschmid in Philologo I. c. 669). At Herodoto illorum calculorum neutrum, verum id quod exspectandum erat, medium quendam vindicandum esse aliarum rationum comparatio docet. Nam ex libri I c. 7 colligitur Herculem neque ad a. 1381 neque ad a. 1324, sed ad a. 1354 referri et inde, Panem a. 1254 assignari (cf. Niebuhr Kl. Schr. I, 197), id quod cum Troianae calamitatis definitione, quam ex alio loco eruemus, sine difficultate componi potest. Etenim I. II c. 13 Moeridem paullo minus nongentis annis antequam ipse Aegyptios sacerdotes ea de re consuleret, mortuum fuisse scriptor exponit. Iam cum Herodotus ante a. 450 in Aegyptum iter non verterit (cf. Gutschmid I. c.), Moeridis mors ante a. 1345 (= 895 + 450) ponenda non erit. Moeridem Sesostris, Sesostrem Pheron, Pheronem Proteus, qui Troianae expeditionis aequalis fuit, in regno secutus est. Protei successoribus ex Herodoti regula II, 142 spatia duarum γενεῶν (a. 66 $\frac{2}{3}$ ) tribuimus. Itaque Troia ante a. 1279 expugnari non potuit, immo non ante a. 1269, quia Alexandrum cum Helena ante Troia-

num bellum ad Aegyptum appulisse Herodotus (II, 113. 118) ex sacerdotum ore notavit. Itaque vitae Homeri scriptor, in talibus rebus immortalis viri imitator, ab eius sententia non multum aberrasse putandus est, cum Troianam calamitatem a. 790 ante Xerxis expeditionem, a. 1270 a. Chr., assignaret.

Iam ad id animum intendas oportet, quibus rationibus nisus, ea tempora Herodotus delineaverit. Etenim certissimum est eum non Graecas tabulas neque a. 63 cyclos, sed Asianos fastos adhibuisse. Agronis regis atque Sardiani imperii initia ex Lydorum memoria ad a. 1221 notata habuit. Iam ex Agronis aetate ascendens, cuius patrem Ninum ex vetustis Lydiae fabulis Herculis pronepotem fuisse perceperat, Herculis et inde belli Troiani et Panis tempora ex γενεῶν rationibus supputavit. Nam alia momenta, quibus pedem figere posset, deerant, nisi quod unius Nini aetatem ex Bābyloniorum annalibus certius definire licuit. (cf. Rer. Assyr. rer. temp. emend. p. 3 et Ueber d. h. Gewinn aus d. ass. Keilinschriften p. 4). Verum quanti haec omnia ab eis rationibus distent, quas Herodotus ex Graecorum genealogorum tabulis sibi componere poterat, non difficile est ad explicandum. Ex Lacedaemoniorum memoria Leonidam vigesimum, Leotychidem vigesimum primum fuisse ab Hercule ipse VII, 204 et VIII, 131 testatur. Itaque si rem satis certam habuisset ubivis ad rudem istum computandi modum provocare, ex quo ternos aetatis orbes uni saeculo aequabant, Herculem ex Graecis literis septingentis annis, secundum annales Lydorum nongentis annis sua aetate superiorem fuisse adnotasset et, quod subinde facere solet (cf. II, 44), tantum diversarum rationum dissensum commemorasset. Sed satis aperatum esse arbitror eum legem istam, quam nonnunquam fallacem esse ex temporibus viginti duorum Heraclidarum, qui per annos 505 Sardibus regnaverunt (I, 7: ἀρξαντες μὲν ἐπὶ δύο τε καὶ εἴκοσι γενεὰς ἀνδρῶν ἔτεα πέντε τε καὶ πεντακόσια), scire debuit, incorruptae Lydorum memoriae praeferre noluisse, et quod nostra multum refert, ex Graecorum monumentis nihil habuisse, cuius tamquam stabiliori fundamento uti posset. Nam id certe ex hac disputatione nostro iure efficimus, fastos Lacedaemoniorum, quibus Alexandrinorum prorsus diversas rationes superstructas reperiemus, Herodotum latuisse. Verum enim vero permirum foret, si ea tabula iam tum Spartae exstitisset, ni accuratissimus antiquae memoriae investigator ullam eius notitiam repperisset; scilicet quem Proclidarum et Eurysthenidarum nomina a primo genitore Hercule usque ad Leonidam et Leotychidem non fugerunt, et ab ipsis Lacedaemoniis exactam famam de eorum rebus et institutis accepisse videmus (cf. Her. VI, 53). Quae cum ita sint, non videbimus cupidius iudicasse si illud monumentum post Herodotum demum vel reclusum, vel fabricatum esse statuerimus. Et ut in posteriorem sententiam inclinemus, id facit quod ante initium saeculi quarti ne minimum quidem eius vestigium comparet.

— 7 —

Non multo minus, quam a fastis Lacedaemoniorum, Herodoti rationes a tabulis Atticis discrepant, ita ut appareat eas scriptori pariter ignotas fuisse; id quod narratione fabulae suavissimae de Croesi et Solonis colloquio comprobatur. Nam si fastos Atticos ante oculos habuisset, qui Solonem anno post Croesum natum leges tulisse memorabant, eum statim post ordinatam rempublicam per decem annos peregre ivisse et tum temporis Lydorum regem convenisse, tradere non potuisset (I, 29 cf. Fischeri fastos Graecos ad Ol. 46, 3 et 52, 1). Sed cum veterem Atheniensium ante Pisistratum memoriam vix tangat, ex illa ignorantia colligere non licet Herodoti aetate Attica tempora omnino nondum supputata fuisse; immo infra probabile esse ostendemus Nelicdarum regum et archontum regna a Melanthono inde iam fere centum annis antea definita fuisse; id tantum concedendum erit Nelicdarum tabulas neglectas iacuisse et de constituenda aetate belli Troiani, Thesei et Cecropis neminem etiam cogitasse. Atque a Cecrope inde usque ad Theseum ante Herodotum non tantum nullas temporum rationes subductas, sed ne regum quidem seriem constitutam fuisse, quam qui post eum res Atticas contexuerunt, omnes uno consensu exhibent, demonstrari potest. Etenim apud illos novem reges enumerantur, Cecrops I, Cranaus, Amphictyon, Erichthonius, Pandion I, Erechtheus, Cecrops II, Pandion II, Aegeus (cf. Apollodor. III, 14, 2 sq. Pausan. I, 2, 6 sq. Eusebius 134). Herodotus autem neque Cranai neque Amphictyonis mentione facta, post Cecropem regem perhibet (VIII, 44), quem in concordia cum vetusta Homeri fama (Il. II, 547) et a senioris aevi scriptoribus dissentiens, neque Erichthonium, neque Atthidis filium, sed Erechtheum vocat et terra facit oriundum. Iam vero inter omnes convenit Erichthonium (Erechtheum Herodoti) patrem Pandionis (I), Pandionem (II) patrem Aegei fuisse. Sed inter Pandionem I et Aegeum in tabulis nostris duplicata Erechthei, Cecropis et Pandionis nomina interposita videmus. Talia studiosam fabularum fabricam sapiunt, ab Herodoto non abesse non possunt. Itaque is sine dubio secundum veterem famam Aegeum, „Pandionis filium“ (I, 173), Erechthei posuit nepotem et tres tantum Atticos reges Aegeo novit superiores; ceteri quinque ad supplendos, aequandos et exornandos fastos post Herodotum demum immissi sunt. Nam ea artificia nondum ita ab omnibus partibus perfecta edere calluerunt docti illi homines, ut non subinde compagines emineant. Etenim in duas personas unum Erechtheum dissectum easque Erichthonii et Erechthei nominibus distinctas esse, id quoque prodere videtur, quod Metion Erechthei II filius cum Alcippe matrimonium iniisse dicitur (Apoll. III, 15, 8, 10), quae secundum vetustas fabulas ab Alcippe Cecropis nepte (Ap. III, 14, 2) non diversa fuerit. Itaque tale stemma antiqua fama finxerit.



V Daedalus (cf. Apollodorum l. c., secundum Pherecydem fr. 105  
Daedalus Metionis ex Iphinoe filius fuit).


Ceterum illorum artificum sollertia non satis admirari possumus. Ut hoc loco unum tantum delibemus, illis debetur, quod ab Eusebio, qui sua quamquam per multos rivulos deducta ex Atticarum antiquitatum scriptoribus hausit, quindecim nomina a Cecrope usque ad Thymoeten et totidem Nelidarum a Melantho usque ad Alcmaeonem, postremum eorum qui per vitae cursum archontis munere fungebantur, recensentur. De temporum adornatione infra singula exponemns, nunc id effecisse satis habemus ante Herodotum regnorum tempora a Cecrope usque ad Theseum nondum constituta fuisse; idem de spatio a Theseo usque ad Melanthum iudicandum esse infra apparebit.

Iam investigandum erit, apud quem scriptorem prima auctae illius tabulae vestigia reperiamus. Atque Hellanicum nominare non dubitabit, qui locum ex Athide, ad quem scholiasta ad Euripidis Orestem v. 1643 (Hellan. fr. 82) provocavit, intellexerit: Περὶ τῆς Ὀρέστου κρίσεως ἐν Ἀρείῳ πάγῳ ἴστορεῖ καὶ Ἑλλάνικος, ταῦτα γράψων· τοῖς ἐκ Δακεδαλοῦ οἱ ἀμφοτέρων ἐπαινούντων, οἱ Ἀθηναῖοι τὴν δίκην ἔστασαν ἐννέα γενεᾶς ὑστερον ἢ (cod. δὲ) Ἀρης καὶ Ποσειδῶν περὶ Ἀλιρρόθιον δίκην εἶπον· ἐπεὶ δὲ Κέφαλος (cod. δίκην. Εἰτα Κέφαλος) ὁ Δηιονέως, ὅστις Πρόκριν τὴν Ἐρεχθέως ἔχων γυναικα, καὶ ἀποκτείνας, ἐξ Ἀρείου πάγου δίκην ὡς δικασθεὶς ἔφυγεν ἐξ γενεᾶς ὑστερον· μετὰ δὲ τὴν Δαιδάλου δίκην, ἀδελφιδοῦν τὸν Τάλων ἀποκτείναντος δολόεντι θανάτῳ καὶ φυγόντος δίκην, τρισὶ γενεᾶς ὑστερον. Quae sequuntur non Hellanici sed scholiae sunt.

De singulis verbis est quod dubitetur, de sententiae summa ambigi nequit, si modo tres clausulas τέλος δὲ — δίκην; εἰτα Κέφαλος — ἐξ γενεᾶς ὑστερον; μετὰ δὲ τὴν Δαιδάλου — τρισὶ γενεᾶς ὑστερον insertis verbis ἐπεὶ δέ ante v. Κέφαλος in unam contraxeris. Quod cum editores non perspexissent, factum est, ut de Cephalo sex aetatis post quam de Halirrhothio, de Daedalo tribus aetatis post quam de Cephalo, de Oreste denique, contra planissimum Hellanici testimonium, undecim vel duodecim aetatisbus

post quam de Halirrhothio iudicium latum esse videretur, et Müllerus (Fr. h. gr. III, 375) pro ἐννέα γενεᾶς υστερον: — ἐνδεκα γ. ὑ. scribere coactus esset. Τὸ τοῦ Ὁρέστου dubitanter, υστερον ἥτις et εἰπον confidenter cum Sturzio reposui; lacunam post ν.: ἔφασαν statuendam esse νν. τέλος δὲ produnt. Nam quod Prellerus proposuit: . . . οἱ Ἀθηναῖοι ἔφασαν τέλος, ἀμφοτέρων ἐπαινούντων. οἱ δὲ Ἀθηναῖοι cet. me non intelligere fateor.

Ut tuis oculis videas, quam bene ex nostra textus emendatione Hellanic rationes et secum constant et in Atticorum regum tabulam, quam ex Apollodoro, Pausania et Eusebio supra exhibui, quadrent, omnia in uno conspectu posui. Id tantum addo Orestis iudicium a Nicolao Damasceno (Fr. h. gr. III, 386, 50) et Phanodemo (fr. 13), quorum uterque ab Hellanico pendet, regno Demophontis assignari.



Ne mireris Menesthei regno unam aetatem repraesentari, monendum est ei in fastis 23 annos tribui et in marmore Pario (ep. 25) Orestis iudicium ad a. quintum Demophontis referri; ita ut triginta fere annorum vel unius aetatis spatium a Thesei inde morte praeterierit.

Iam credo callidum illum artificem deprehendimus, quem varia veterum rerum scriptorum studia ita coniunxisse sciens, ut totam fere Graecarum fabularum copiam comprehendenseret, et propriam suam laudem in constituendis, componendis et emendandis temporum rationibus quaesivisse et primum ut ita dicam synopticum temporum conspectum contulisse constat. Magni enim momenti est, quod in tabulam sacerdotum Iunonis Argivae Hellanicus quaecunque memoratu digna videbantur, ad annos retulit, id quod et fragmentis et accuratissimo Dionysii Halicarnassensis (Ant. R. I, 72) testimonio (ο δὲ ταὶς ἑρειαῖς ταὶς ἐν "Αργει καὶ τὰ καθ' ἐκάστην πραχθέντα συναγαγών) evincitur. Atque haec ipsa opera, quam prius in efficiendo temporum et fabularum consensu posuit, scriptorem compulit, ut ad removendam Cecropis aetatem illam Atticorum regum tabulam plerisque nominibus ditaret. Verum ne quis opinetur ab alio scriptore vel ante Hellanicum vel eadem aetate talia excogitata fuisse, reputandum est Pherecydem Atheniensem quantum scimus temporum rationem non habuisse et, quem praeterea nominare possimus, Amelesagoram Clementi quidem Alexandrino (Strom. VI, 2 p. 267 Sylb.) praeter multos alias Hellanici quoque auctorem visum esse, sed eius testimonium in hoc genere prorsus nihil valere (cf. Fr. h. gr. II, 21), denique nullius studia ad singularem illam audaciam tam ex omnibus partibus apta cogitari posse.

Quae omnia ut in clariore luce ponantur, experiendum est, num Hellanici rationes restituere queamus. Itaque praeter cetera eruendum erit, et quibus fontibus uti potuerit, et quibus usus sit. Notissimum enim est multas Graecorum gentes ad eos heroes originem retulisse, quorum nomina vel expeditione Troiana vel aliarum fabularum claritate illustrata erant. Sed illud γενεαλογεῖν ἔαντόν iam Herodoti (II, 143) temporibus ita despectui fuisse videtur, ut privata eiusmodi monumenta vix magnam fidem facere potuerint. Publica vero memoria in eis tantum civitatibus ab octavo inde saeculo cum aliqua auctoritate restituta et literis fixa esse potuit, in quibus usque ad eam aetatem regia vetustarum gentium potestas mansit. Id quod in omnibus factum non esse scimus. Nam in plerisque earum civitatum, quae antiquissimis temporibus alicuius momenti fuerunt, regibus iam pridem exactis, populares factiones omnia ita mutaverunt, ut de conservanda memoria cogitatum esse vix probabile sit. Inter reliquias primum locum tenent Sparta, Corinthus et Athenae. Adderemus Argos, si ullum vestigium exstaret, continuas Argivorum regum tabulas a chronographis adhibitas esse.

Sed neque Spartae et Corinthi Heraclidarum, neque Athenis Nelidarum regum tabulae ultra Doricam migrationem procedebant, ita ut inde inter plura variarum gentium stemmata, ex quibus Troiana expeditio et cetera tempora definirentur, libera optio data esset. Iam vero exspectandum est fastos Lacedaemonios et Corinthios, ex eiusdem gentis memoria ortos, non minus secum convenisse, quam ab Atticis Nelidarum tabulis dissensisse. Atque id re vera factum esse ex literis, quae ad nostram aetatem pervenerunt, apertissimum est. Hinc patet quanti scire intersit, utram ex illis rationibus Hellanicus secutus fuerit. Nam ex Argivarum sacerdotum serie nihil nisi ipsarum sacerdotum aetatem explicare potuit. Sed ita fit, ut Atticorum regum tempora, e quorum rationibus insignia Graecarum rerum momenta Hellanicum constituisse demonstratum ibimus, scriptorem definivisse pleraque fragmenta testentur (fr. 62. 74. 143), de Spartanorum et Corinthiorum ἀναγραφαῖς ne verbum quidem inveniamus. Adeamus igitur ipsos Atticorum fastos.

Etenim, ut minores varietates transeamus, omnino duae Atticae tabulae recensiones exstant, quarum altera, ad Alexandrinorum calculorum amussim instructa, Troianam calamitatem ad a. 1183 a. Chr. refert, altera Atticas rationes secuta, in a. 1209 ponit. Illam unus Eusebius, hanc et marmor Parium et auctor excerptorum barbarorum (in Scaligeri Eusebio p. 76) expressit, quamquam ei in prima regnorum parte paullo dissentunt. Quorum calculos ad nostram aeram revocatos infra comparandos subiecimus. Marmoris numeri ex egregiis Boeckhii restitutionibus, quas summatim amplector, pendent. Eusebii calculi ad Dionysii mentem, qui Charopis a. pr. recte in Ol. VII, 1 (a. 752) ponit, correcti non sunt (cf. Boeckh. C. I. II, 332). Excerptoris denique barbari tabulae sine magno negotio propriam formam reddidi. In prima enim parte Cranai regnum, quod excidisse manifestum est, ex Eusebio intuli et Menestheo pro a. 19: a. 23 tribui, quae vetusta memoria est (cf. Clem. Alex. Str. I, 321. Euseb. p. 136. 297). In postrema sectione Alcmaeon de loco archontum decennalium movendus et ex Eusebio duorum annorum regno exornandus, denique numeri lacuna post nomen Aeschyli, annorum quattuordecim supplemento sananda erat, sed ita ut a. 14 Thersippo et eius a. 23, ut in Eusebio est, Aeschylo vindicarentur. Quae omnia certissima sunt, quippe quae duplice summa annorum 814 (a Cecrope usque ad pr. Ol.) et annorum 907 (inter Cecropem et Eryxiae mortem), quam excerptor exputavit, comprobentur. Apparet enim ea menda non interpretis barbari sed codicis esse, quem Scaliger adhibuit.

Rationes

	Marmoris Parii	exceptoris barbari *)	Eusebii
373	Cecropis a. 1	1582	1605
	Menesthei a. 22	1209	396
	Troia capta		1210
60	Menesthei a. 23	1208	1209
	Demophontis a. 1	1207	60
	Thymoetae a. 9	1149	(Troia capta)
	(reditus Heraclidarum)		1150
397	Melanthi a. 1	1148	1149
	Alcmaeonis a. 2	753	396
	Charopis a. 1	752	754
			753

\*) Restituta excerptorum barbarorum tabula haec est :

Cecropis	a. 50	Melanthi	a. 37
[Cranai	a. 9]	Codri	a. 21
Amphictyonis	a. 40	Medontis	a. 20
Erichthonii	a. 10	Acasti	a. 39
Pandionis I	a. 50	Archippi	a. 40
Erechthei	a. 40	Phorbantis	a. 33
Cecropis II	a. 53	Megaclis	a. 28
Pandionis II	a. 43	Diogneti	a. 28
Aegei	a. 48	Phereclis	a. 15
Thesei	a. 31	Ariphronis	a. 30
Menesthei	a. 23 (19)	Thespiae	a. 40
	397 384 (382)	Agamestoris	a. 26
Demophontis	a. 35	Thersippi	a. [14]
Oxyntae	a. 14	Aeschylis	a. 2 = Ol. I
Aphidantis	a. 1		373 814 ,a Cecrope usque
Thymoetae	a. 9	Aeschylis	a. 21 21 ad pr. Ol.
	59 59	Alemaeonis	a. [2] 2
			396

Archontum decennalium a. 70

907 ,a Cecr. usque  
ad Eryxiam.

In prima tabulae parte a Cecrope inde usque ad Menesthei a. 23, marmoris Parii et Eusebii calculos vides consentientes, in altera vero a Demophontis a. primo usque ad a. pr. Charopis, numeri marmoris numeros Eusebii annis 27 exsuperant ( $397 + 58$

= 455; 375 + 53 = 428. 455 — 428 = 27). Quae differentia unde orta sit, aper-tum est. Nam cum Troiana aera Eusebii ab anno primo Charopis annis 429, aera mar-moris vero annis 457 distaret et illa insuper in anno Menesthei XXIII, haec a. XXII poneretur, chronographis, qui marmoris rationes ad illas revocare vellent, ab anno inde primo Demophontis a. 27 demendi erant. Ceterum Eusebii auctor neque aeram Troianam ad a. 1181 referre, neque inter eam et redditum Heraclidarum vel a. postremum Thymoetae annos 56, quae ratio nulla est, exputare potuit. Itaque non dubito ei hancce tabulam vindicare.

Cecropis	a. 1	1557	374
Menesthei	a. 23	1183	
Thymoetae	a. 9	1123	60
Charopis	a. 1	752	371

Sed linquamus haec recentiora commenta, ex quibus id tantum lucramur, ut ex Atticis tabulis redditum Heraclidarum anno 60 post Troiam captam assignari intelligamus, id quod ne is quidem, qui aeram Troianam retraxit, mutare ausus est. Redeamus ad alteram fastorum recensionem et experiamur, num ex ea veterum de Atticis antiquitatibus scri-  
ptorum rationes eliciamus.

Etenim dubium esse non potest, quin marmoris Parii scriptor, vel is quem adhi-buit, sive ille Phanius Eresius, quod mihi quidem Boeckhius prorsus persuasit, sive aliis fuit, Atticorum regum et archontum notationes ex Atticis fontibus hauserit, et definitio redditus Heraclidarum a. 1149 et aera Troiana a. 1209 Atticis propria sit. Cui-sentiae eo nonnihil confirmationis additur, quod Thucydidis rationes ex eadem Do-  
rica migrationis constitutione pendent, quamquam de tempore, quod a Troiana inde calamitate usque ad a. 1149 praeterit, alia statuit. Quorum utrumque infra demon-  
straturi sumus. Accedit, quod altera eiusdem recensionis tabula non solum in illorum temporum constitutione, sed etiam in definienda Cecropis aetate cum Atticis prorsus convenit. Itaque libenter concesseris, nisi ex illis marmoris Parii et excerptoris bar-  
bari tabulis, ex nullis rationes Hellanici, Philochori vel cuiuscunque ex Atthidum scri-  
ptoribus in integrum restitu posse.

Adeamus primum Philochorum, quoniam ex eo tres saltem Atticorum temporum notationes ad nostram aetatem pervenerunt, id quod ceteris non contigit. Etenim traditum

habemus et cui anno Ogygem et Cecropem assignaverit, et quot annorum spatium inter Troiam captam et Archippum archontem supputari voluerit. Iam vero haec omnia ita comparata sunt, ut si demonstrari possit, illas definitiones cum tabularum nostrarum rationibus prorsus conspirare, etiam cetera non dissentire consentaneum sit. De Ogygis aetate iudicari non potest, quod de ea fasti nostri silent. Sed si verum est, quod Tatianus (c.31 p.108), Eusebius (Pr. ev. X, 11 p.492 A. Chron. 302) et Syncellus (p.180 D) testantur, ex Philochori sententia Homerum archonte Archippo annis 180 post Troiam captam vixisse, et si de Eusebiana tabulae auctore recte iudicavi, scriptor aut eandem fastorum recensionem secutus est, quam excerptor barbarus et marmor Parium expressit, aut quod probabile non est, rationibus morem gessit, quarum ad nos ne minima quidem notitia pervenit. Etenim tempora a Demophonte inde usque ad Archippum in illis tabulis ita definita sunt, ut in summa cum Philochoro concordia annus 180 post Troiam captam in Archippi regnum incidat. Verum cum ambigi possit, num marmor Parium an excerpta barbara Cecropis aetatem ex Philochori mente constituerint, rationum comparatio pro excerptore barbaro rem disceptat. Nam Philochorus (fr. 8) Ogygem ad a. 1020 ante pr. Ol. (a. 1795 a. Chr. si quidem aequa ac Eratosthenes annum primae Olympiadis includi voluit cf. Fischeri fastos Gr. p. 4), Cecropem ad a. 1606 a. Chr. retulit, qui excerptoris barbari calculus est, si de unius anni differentia discedis. Iam ex dupli rationum consensu satis apertum esse credo excerptorem barbarum Philochori fastos expressisse. Eorum conspectum hoc loco repetere superfluum esset, nisi Ogygis notatio accederet, et non satius duxisset Charopis a. 1 ex Philochori mente in Ol. VII, 1 a. 752 (cf. Boeckh. l. c. p. 332) ponere et annis 59 (a Demophonte inde usque ad Thymoetae mortem) unum addere.

Ogygis	a. 1	1795	189
Cecropis	a. 1	1606	
Menesthei	a. 23	1209	397
Demophontis	a. 1	1208	60
Thymoetae	a. 9	1149	
Melanthi	a. 1	1148	397
Alemaeonis	a. 2	753	
Charopis	a. 1	752	

Ceterum ne cui sedulo quidquam videar praetermississe, quod argumentationem meam ullo modo infirmare posse verear, erunt fortasse qui credant scriptorem, quem Ionicæ migrationis aetatem in summa cum Alexandrinis concordia ad a. 140 post Troiam expugnatam retulisse constet, in ceteris dissentire non potuisse. Immo ad Boeckhium poterunt provocare, qui C. I. II, 328 Philochorum Eratostheni aliqua ex parte praeivisse iudicat, quod ille ,totidem atque Eratosthenes annos a Troia capta ad Ionicam coloniam exputet.<sup>4</sup> At adtendas quaeso quam prorsus nullo testimonio haec omnia nitantur. Etenim manifestum est Eusebio deberi, quod Philochoro vindicant. Qui cum Tatiani (or. adv. Gr. p. 108) verba: Οἱ δὲ περὶ Ἀρίσταρχον ("Ομῆρον φασὶν ἡκμακέναι) κατὰ τὴν Ἰωνικὴν ἀποικίαν, ἦ εστι μετὰ ἐκατὸν καὶ τεσσαράκοντα ἐτη τῶν Ἰλιακῶν, exscripsisset, ex his ea quae proxime sequuntur: Φιλόχορος δὲ μετὰ τὴν Ἰωνικὴν ἀποικίαν, ἐπὶ ἀρχοντος Ἀθήνησιν Ἀρξίππου, τῶν Ἰλιακῶν ὑστερον ἔτεσιν ἐκατὸν ὄγδοον κοντα, comodissime illustrari posse opinatus, temere verbis μετὰ τὴν Ἰωνικὴν ἀποικίαν addidit: ἔτεσιν μ' (40) (Pr. ev. X p. 492 A.), pulcherrime Alexandrinas rationes cum rationibus Philochori permiscens. Atque ne arbitraris Eusebium aliunde petiisse, quod ex tam propinquo fonte haurire potuit, Clementis Alexandrini testimonium proponam, qui Str. I, 326 inverso ordine idem habet quod Tatianus: ἀπὸ δὲ τῶν Τρωϊκῶν ἐπὶ τὴν Ὁμήρου γένεσιν κατὰ μὲν Φ. ἐκ. ὅγδ. ἐτη γίνεται, ὑστερον τῆς Ἰωνικῆς ἀποικίας. Ἀρίσταρχος δὲ ἐν τοῖς Ἀρχιλοχείοις ὑπομνήμασι, κατὰ τὴν Ἰωνικὴν ἀποικίαν φησὶ φέρεσθαι αὐτὸν, quae ne cum Scaligero ex Eusebio expleas, cavebis. Sed etiamsi hac in ratiocinatione errarem, nondum de calculorum Philochori restitutione mea actum esset. Nam quid mirum si in singuli momenti definitione inter rationes conveniret, quae in ceteris omnibus toto coelo digrediuntur. Illud enim tenendum est alias fuisse Atticas alias Alexandrinorum rationes, illis aeram Trojanam a. 1209, et inde usque ad redditum Heraclidarum spatium a. 60 proprium esse, contra Alexandrinis, qui Lacedaemoniorum fastis nitebantur, aeram Trojanam anni 1183, notationem migrationis Doricae ad a. 1103.

Sed iam ad Hellanicum redeundum est. Nam quae in his rebus continuitas esse solet, ut in certis quaestionibus scriptorum alter ab altero pendeat, ea hic quoque conspicitur. Philochorus enim, teste Eusebio (fr. S M. p. 385) de Ogygis aetate canum Hellanico facit. Quod cum ita sit, nonne probabile esse videtur in Atticorum temporum constitutione et Philochorum et fortasse ceteros quoque illarum antiquitatum scriptores Hellanici vestigiis ingressos fuisse? Ea conditione illius tabulae adornatione non Philochori tantum sed Hellanici quoque gratiam nobis conciliaverimus.

Iam velim tabulam iterum oculis tuis perlustres: vides eam aera Troiana et redditu Heraclidarum a Cecrope inde in tres partes distingui et quod primo obtutu magnopere

miraberis, earum primam idem temporis spatium complecti atque supremam. Quod tuo iure forti tribueres, si de certa numerorum memoria ageretur. Sed memineris quinque ex regibus, qui Menestheum antecedunt, Hellanici studiis atque curis deberi. Ne multa, iam satis apertum esse opinor lepidissima arte spatium a Cecrope inde usque ad Troiam captam ad temporis mensuram, per quod Nelidae summam imperii et paene regiam auctoritatem tenuerunt, efformatum esse; ita ut eadem a. 397 summa spatium temporis, quod gravissimis veterum rerum Graecarum momentis intercessit, includeret, et primus Atticae rex Cecrops felicissimis auspiciis tabulam iniret, Alcmaeon vero ultimus eorum, qui apud chronographos quidem honorario regis nomine fruebantur, eam clauderet. (Cf. Hermanni ant. gr. publ. §. 102, 2).

Iam vero origines et tamquam historiam harum tabularum perpendenti, et circumspicienti cui potissimum aetati eius partis compositionem adscribam, quae Nelidarum regna complectitur, ultiro sese offert nomen Pisistrati, cuius splendidissimae curae de literis et artibus notissimae sunt. Num putabimus eum, qui tanti fecit, ut ex Nelidarum prosapia ortus, eorum tamquam heres haberetur (cf. Her. V, 65 et subditicias literas ap. Diog. Laert. I, 53), quem primum Athenis bibliothecam condidisse Athenaeus I, 3 a. et Gellius n. a. VI, 17 testes sunt, eum denique, qui tantam operam in contexendis carminibus Homericis posuit: suae gentis et suorum maiorum memoriae colligendae et restaurandae nullam navavisse?

Itaque iam Pisistrati temporibus regna a Melantho inde constituta fuisse arbitror, ita ut Nelidarum gentem annis 397 ante primum archontem decennalem (a. 1149) Athenas venisse constaret. Si quaeris unde eas definitiones fluxisse putem, suspicor probabilem famam usque ad aetatem Agamestoris redundasse et inde tempora ex aetatum rationibus constituta esse, qui mos apud Graecos tam vulgatus erat, ut ab eo fere omnes veterum temporum calculos pendere manifestum sit. Etenim multa apud veteres Graecarum rerum scriptores vestigia reperiuntur, quae tali adminiculo eos usos fuisse arguunt. De Herodoto iam vidimus; praeter locum notissimum l. II, 142, conferas VII, 171. Ne Hellanicum quidem, qui tam cupide certam numerorum explicationem affectavit, ea arte egere potuisse docent fr. 1, 53, 82. Quid quod Thucydides quoque certioribus momentis destitutus ad tam vagam definitionem confugit I, 14, 1. Ex senioris aetatis scriptoribus Ephorus, non ea tantum tempora, quae primam Olympiadem praegrediuntur, sicuti Oxyli in Eliodem immigrantis (cf. fr. 29 Müller) et Lycurgi legislatoris (cf. fr. 64 p. 250 et 253), verum etiam Phidonis Argivi aetatem (fr. 15) et Naxiorum atque Megarensium in Sicilia origines (fr. 52) ex stemmatum ordine constituit. Sed consentaneum est de temporis spatio, dum natura humana a sementi ad sementem revertitur, varias opiniones circum-

latas fuisse, id quod Censorinus (de die natali 17) et alii (v. Iahn ad l. c.) confirmant. Verum praeter ceteras duae potissimum plurimorum approbationem nactae esse videntur, altera Herodoti, qui statuit tres γενεάς uno saeculo comprehendi, altera Heracliti qui unum aetatis orbem triginta annis circumagi affirmavit. {Illam Herodoti rationem in Heraclidarum fabulis deprehendimus. Nam cum alii ex oraculi responsis eos post tertiam aetatem quam expulsi fuissent, in Peloponnesum rediisse narrarent (Apollod. II, 8), eandem definitionem alii in indutiarum conditiones transtulerunt, quas Peloponnesii ante Hylli mortem cum Heraclidis pacti erant, et centum eas annorum fuisse tradiderunt (Her. IX, 26). Heracliti calculum Atticorum rationes prodere videntur. Nam in excerptorum barbarorum tabula undecim regna inde a Melanthono usque ad Agamestorem annorum 331 spatium complectuntur, quod, si de uno anno discesseris, undecim γενεῶν rationibus respondet. Atque certae memoriae vestigia ab Agamestore inde (a. 41 ante Ol. I) suppetivisse absimile non est. Sententia nostra eius intervalli constitutione comprobatur, quod Troianam aeram a reditu Heraclidarum seiungit.

Etenim ex vario variorum stemmatum ordine diversi calculi orti sunt. Qui Heraclidarum seriei rationes adaptabant, trium aetatum tempora Cleodaei, Aristomachi et Temeni supputabant; nam Hyllum Cleodaei patrem bello Troiano parem ponebant (cf. Clinton F. H, I, 79). Inde Herodoti centum annorum definitionem, de qua supra diximus, originem duxisse in propatulo est. Aliis autem, qui ad amussim stemmatis Atridarum rationes inierunt, duo tantum Orestis et Tisameni nomina sese obtulerunt (cf. Ap. II, 8, 3, 5). Atque idem Atticis evenit. Nam ex antiquissimis calculis Demophontis aetas infra Hylli et belli Troiani aetatem promoveri non potuit, id quod Pherecydis testimonium fr. 39 confirmat. Itaque inter expeditionem Troianam et regnum Melanthi duarum tantum aetatum spatium suppetebat, per quod Oxynthen et eius filios Aphidantem et Thymoeten imperium habuisse traditum erat. Atque hinc explicandum esse arbitror, quod in Atticis tabulis, quae nobis innotuerunt omnibus, ei tempori non plus quam sexaginta annos expensos ferri conspicimus. Eadem rationem eorum quoque calculis subesse, qui Peloponnesiorum cum Hyllo indutias in quinquaginta annos factas esse narrabant (Diod. IV, 58), apertum est. Sed miranti, quod in nostris tabulis Demophontis regnum infra Troiam captam promotum comparet, reputandum est aliud esse regum fastos describere, aliud tempora ex stemmatum ordine constituere. Consentaneum enim est rudem istam rationem, ex qua summam temporis delineatam habebant, in singulis vario modo adornari potuisse ab eo, qui regnorum ordinem et spatia a Theseo usque ad Melanthum fixit. Quod quo artificiosius confectum est, eo magis inclinat animus, ut Hellanicum auctorem fuisse suspicer. Ceterum ut extemplo hac quaestione defungar, medium quandam ra-

tionem iniisse et stemmatum et fabularum varietates secum contendisse et composuisse videntur, qui redditum Heraclidarum octogesimo anno post Troiae calamitatem factum ponebant. Etenim qui Heraclidarum et Atridarum seriem ab imo ita sibi opponebant, ut Temenus Tisameno, Aristomachus Oresti responderet, Cleodaeum Agamemnoni, Hyllum Atreo aequaevos habebant. Atqui constabat Hyllum vel tertio anno post oraculi responsum (Ap. II, 8, 2, 4), vel paullo post indutias, in centum annos factas (Her. l. c.), necatum esse. Itaque si recte consensum chronographorum, qui Troiae calamitatem ad Agamemnonis annum octavum decimum referunt, ex vetusta poetarum fama explico, centum annorum summae viginti fere anni subtrahendi erant, ut ratio compareret. Et ita fere Thucydidem I, 12, quem primum 80 annorum notationis testem habemus, calculos vel subduxisse vel subducere potuisse, ea quae de Atreo Eurysthei successore exhibit (I, 9 cf. O. Müller Dorier I, 58), non infirmant. Nam ab hac ratione eam prorsus abhorrente, quae Hyllum ad Orestis (cf. Paus. 8, 5, 1) et Demophontis (Pherec. fr. 39) aetatem promovebat, vix est quod moneam. Ceterum Thucydidis auctoritas efficit, ut ille calculus ceteros magis magisque oblitteraret et ab Alexandrinis, tamquam fide dignissimus, acceptus sit; quamquam non ex Thucydide illi hauserint, sed Atridarum tabulis usi fuerint ad eius rationis mensuram descriptis. Sed ut redeamus unde profecti sumus, non dubito quin veteres Graecorum fastos omnes iisdem vel similibus aetatum rationibus ortum debere probari possit, si modo eos disiunxeris, quos propter singulares causas cum arte sive extensos, sive imminutos videmus. Atque nostra sententia non minus corruptis Sicyoniorum et vetustissimorum Atticorum regum tabulis, quam integris Argivorum fastis confirmatur. Quae omnia uberius infra demonstrabimus. Hoc loco de temporibus sacerdotum Halicarnassensium et regum Macedonum, Corinthiorum et Spartanorum dicam. Etenim utraque Macedonicae tabulae recensio, quarum altera a Carano usque ad Archelaum annos 405 altera annos 378 exputat (cf. Fr. h. Gr. III, 693), ad aetatum mensuras a vulgatis non multum discrepantes, bene exacta est, illa ad mensuram annorum  $33\frac{3}{4}$ , haec annorum  $31\frac{1}{2}$ , quamquam origines Macedonum non sine arte sive prima Olympiade, sive cum Assyrii imperii fine (Euseb. p. 169) componi appetat. Mentione dignum est, quam sero Macedones certam memoriam tradere inceperint. Nam non solum de Perdiccae II aetate, sed etiam de Archelai regno, qui a. 399 a. Chr. mortuus est, testimonia fluctuant. De sacerdotibus Halicarnassensium Boeckhii verba (C. I. II, 452) repetam: „Ceterum dempto Neptuno gradus sive aetates habes quindecim et annos quatuor et quingentos: ita ut singulae aetates iustissimum numerum expleant annorum  $33\frac{3}{5}$ . Paullo diversam notionem de aetatum spatio habuisse videntur, qui Spartanorum et Corinthiorum regum tempora constituerunt. In fastis enim, quos Alexandrini seuti sunt,

decem Eurysthenidarum regnis annos 350 et totidem Corinthiorum Heraclidarum aetatis annos 356 expleri reperiemus. Hinc patet auctorem de orbibus annorum 35 vel  $35\frac{3}{5}$  cogitasse. Quae omnia cum ita sint, de eorum opinione actum est, qui propemodum nullas maiorum spatiorum definitiones in aetatum rationes quadrare sibi persuaserunt (cf. Dunckeri h. Gr. I, 201).

Sed revertamur ad fastos Atticorum. Via enim delineata, qua ad aeram Troianam anni 1209 et redditus Heraclidarum definitionem anni 1149 pervenerint, vel si mavis pervenire potuerint, ad Cecropis et Ogygis aetatem ascendendum est. Quinque reges inter Cecropem et Theseum ab Hellanico intrusos esse supra ostendere conati sumus; cur id factum sit nunc explicaturi sumus. Etenim ex vetere fama constabat Ogygem Atticum et Phoroneum Argivum eadem primi diluvii aetate vixisse (Acusil. fr. 13 Philoch. 8), Deucalionis temporibus Cecropis regnum incidisse (v. marm. Par. ep. 2). Verum quantae difficultates ex ea memoria Hellanico obortae sint, qui Graeca tempora inter se contendebat et varietates compensare nitebatur, inde intelligitur, quod Agamemnon plerumque loco vicesimo (Apoll. II, 1 sq. cf. Alex. Strom. I p. 320) post Phoroneum ponebatur, Deucalion vero loco decimo ante Melanthum (Hell. fr. 10). At vetustissimae fabulae Atticae a Cecrope usque ad immigrationem Nelidarum octo tantum aetates memorabant et omnino sex tantum nomina ab Ogyge usque ad Demophontem. Itaque ut inter Argivorum Thessalorum et Atticorum regum tempora aliqua concordia efficeretur, fasti Attici nominibus replendi erant. Neque dubito, quin in Hellanici tabula septimus rex Cecrops, decimus septimus Menestheus fuerit. Nam regnorum inter Ogygem et Cecropem supplementa, quae postea Philochorus expungenda esse duxit (Ph. fr. 8), pariter ac tam multa alia commenta Hellanico deberi, ex Munychi regis memoria colligo (Hell. fr. 71), cui ne locum inter reges post Cecropem vindicemus, tabulae nostrae ve-  
tant (cf. Meursium de reg. At. III c. 8). Alia fictiorum illorum regum nomina quinque, quorum quattuor Hellanici fuerint, ex variis scriptoribus collecta Meursius (l. c. I, 6) exhibet. Nam senos reges fuisse annorum 189 summa indicare videtur, quae fere sex aetatibus respondet. Sed mecum miraberis in fastis Atticis ante Melanthum a Cecrope inde tredecim γενεάς, in stemmate Deucalionis vero decem tantum enumerari. Verum duo potissimum momenta parvae discordiae ansam dederint. Nam cum Cecropis aetas duplicatione annorum 397 fixa esset, prospiciendum erat, ut aliqua ex parte numerus regum rationi numerorum responderet; quae res tam prospere cessit, ut undecim regnis ante Demophontem pro rata parte non plus quam anni 36 obtigerint ( $11 \times 36 = 396$ ). Deinde placuit scriptori tot reges creare a Cecrope ad Melanthum, quot fuerunt a Melanthon ad Charopem. Quae omnia cum ita sint, ut tribus verbis de fastis Atticis iudi-

cium complectamur, ab aetate Agamestoris probabili memoria nituntur, inde usque ad Melanthum Pisistrati aetate ex stemmatum rationibus exputati, ab Ogyge et Cecrope denique usque ad Melanthum ab Hellanico partim adornati, partim fabricati esse videntur.

Investigantibus nobis, num singulare artificium, quo scriptor Lesbius Attica tempora emendavit, eius proprium an etiam in aliorum usu fuerit, plura vel eiusdem vel similis generis exempla sese obtulerunt. Uno verbo tangam, quod iam Niebuhrius (Vorl. über R. G. I, 84) et post eum Schweglerus in historia Romana I p. 807 notaverunt, aunales Romanos ab origine libertatis usque ad urbis incendium annos centum viginti supputasse, regibus autem bis tot annos adnumerasse. Neque dubito, quin is, qui primus talia excogitavit, Tarquinios anno decimo tertio Anci Marcii a. 121 post urbem conditam Romam immigrantes fecerit. Nam si Romuli, Numae, Tulli Hostilii regnis annorum 109 (= 38 + 39 + 32) unum annum demis, tribus ultimis regnis annorum 107 (= 38 + 44 + 25) unum addis, Romanorum regum tabula, ut infra descripta est, in duas aequas partes dividitur.

Romuli	a. 37 (interr. a. 1)
Numae Pompilii	a. 39
Tulli Hostilii	a. 32
Anci Marcii	a. 12
	120
Anci Marcii	a. 12
Tarquinii Prisci	a. 39 (38)
Servii Tullii	a. 44
Tarquinii Superbi	a. 25
	120

Ne quis miretur, quod in tabula Latinorum regum, quam a Graeco homine effectam esse constat, talis numerorum ludus non comparet, reputandum est eam non ex pia tamquam fraude, sed ex fraudulenta audacia ortam esse, quae vacuum spatium, certis momentis inclusum, fictis regnis explere non dubitavit, sed dolum atque machinas cupidissime celavit.

Tamen una Latinorum et Romanorum regum tabula exstat, cuius auctor eam prudentiam non probavit. Exceptor enim barbarus (p. 54 et 76) Latinos et Romanos fastos proposuit a ceteris multis ex partibus discrepantes. A Troia inde capta Latinis regibus duodecim et Romanis septem tribuit a. 675 et ita rationes subduxit, ut primis novem regnis 338 anni adnumerentur, decem postremis anni 337. Et propemodum eadem cum

sollertia ab Aenea inde regum Latinorum tempora ordinata sunt, quorum quinque spatia annos 200, sex cetera annos 202 complectuntur \*). Ceterum probabile esse concesseris istorum calculorum auctorem proportiones etiam accuratius exactas habuisse. Priusquam ad alia transeamus, id addidisse iuvabit rationem viginti duarum aetatum, quae tempora inter Aeneam et Tarquinium Superbum expletant, cum summa annorum 674, quot Dionysius Halicarnassensis a Troia capta ad reges pulsos supputavit, ita convenire, ut singulis pro rata parte anni 30<sup>7/11</sup> expensi sint; cuius rei laudem Alexander Polyhistor, vel quicunque fastos Latinos consarcinavit, meruerit.

Simile exemplum tam mirae calculorum proportionis, ante hos quattuor annos ex Ctesiae reliquiis eruimus (cf. Assyr. rer. temp. em. 60). Apud Ctesiam enim summa annorum 1306, per quos Assyrii imperium tenuisse perhibentur, ita divisa est, ut regibus ex progenie Nini idem temporis spatium contigerit atque regibus ex stirpe Balaatorae. Sed medicus ille callidissimus non tantum Assyriorum fastorum emendatione lectores pro ludibrio habuit, verum, ut nunc video, etiam Medorum temporum definitionibus. Nam cum Aspanda (Astyagis a. 35) regnum, cum aliis ex Herodoto supplevissem, nunc intelligo regi adscribendos esse a. 34 et eam tabulam non minus quam Assyriam in

\*) Excerptoris barbari fasti hi sunt:

1. Latinus	a. 18	
2. Aeneas	a. 38	
3. Ascanius	a. 35	
4. Alba	a. 36	
5. Titus Silvius	a. 38	
6. Francus (?) Silv.	a. 53	
7. Latinus S.	a. 56	
8. Procas S.	a. 46	
9. Tarquinius S.	a. 18	
		—
10. Calpetus S. (cod. Cidensis)	a. 32	338
11. Aventinus S.	a. 21	
12. Remus S.	a. 29	
		—
	Summa a. 420	
7 reges Romani	a. 255	
	—	
	675	337

Romanis regibus dedi a. 255 ut est p. 54, ut rationes cum aera Troiana anni 1184 et primo anno libertatis (509), quam p. 76 falso ad Ol. 66 referri patet, constarent. Quas nugas in definiendo anno urbis conditae auctor tabulae secutus sit, non assequor. Notandum est quantopere Latinorum regum series a fastis ceterorum scriptorum discrepet (cf. Schwegleri h. R. I, 342.)

aequas partes distingui \*). Transimus ad fastos Corinthiorum, qui quamquam Alexandrinorum manibus emendati nobis traditi sunt, tamen satis manifesta similia iudorum vestigia in fronte gerunt. Ex Diodoro enim hanc tabulam ab Eusebio p. 164 (cf. Ge. Sync. p. 337, Diodor ed. Bekker I, 510) exscriptam habemus:

(30)

Aletis	a. 38		
Ixionis	a. 38		
Agelae	a. 37		
Prumnis	a. 35		
		148	(178)
Bacchidis	a. 35	148	(178)
Agelae	a. 30		
Eudemis	a. 25		
Aristomedis	a. 35		
Agemonis	a. 16		
	(avunculi Telestis)		
Alexandri	a. 25		
Telestis	a. 12		
	(filii Aristomedis)		
		178	178
Automenis	a. 1	1	1
Ceter. Bacchiadarum	a. 90	90	90
		417	(447)

\*) Cf. Diodor. II, 32 sq. Assyr. rer. t. e. p. 12.

Sardanapalli	a. postr.	883	a. Chr.
Arbacis	a. 28	882	
Maudacis	a. 50	854	
Sosarmi	a. 30	804	
Artycae	a. 50	774	
		158	
Arbianis	a. 22	724	
Artaei	a. 40	702	
Artynis	a. 22	662	
Astibarae	a. 40	640	
Aspandae	a. [34]	600—566	
		158	

Sed summa a. 417 cum Eusebii adnotatione, annis 447 post redditum Heraclidarum Cypselum regno potitum esse, non congruit. Anni triginta desiderantur. Itaque aut trigesinta annorum regnum supplendum, aut alio modo subveniendum est. Atque O. Mülleri opinio Aletem anno trigesimo post Doriensium migrationem Corinthum occupasse Didymi (schol. Pindar. Ol. 13, 17) testimonio confirmari videtur. Alteram viam nuper Bursianus (in Iahnii annalibus 75, 1, 31) ingressus est, ad Pausaniam II, 4, 4 provocans, qui per quinque γενεάς Heraclidas usque ad Bacchidem regnnavisse et totidem Bacchiadarum usque ad Telestem fuisse auctor est. Inde colligi unum regnum Bacchiadarum excidisse.

Sed cum testimonium afferri non possit Eudemum Agelae, Aristomedem Eudeni filium fuisse, immo fieri potuerit, ut haec tria regna spatium quattuor aetatum expleverint, Didymum denique ab Alexandrinis rationibus, quas Diodorus expressit, pendere probabile sit, non dubito coniecturae certum testimonium präferre et Mülleri sententiam amplecti. Nam neque ex Eusebii verbis certi quidquam de Alete, neque ex Malala (chron. p. 90 ed. Dind.) de regum numero colligi potest, quorum utrumque Bursianus sibi persuasit. Malalam enim aliam memoriam atque ceteros chronographos ante oculos non habuisse ex temporum rationibus colligitur. Nam apertum est auctorem eius ita ut Eusebius (p. 165) et excerpta barbara, ab Alete inde usque ad Automenem (incl.) annos 323, ab Ixione inde annos 288 exputasse et apud Malalam numeros σοζ' (277) et τιγ' (313) corrigendos esse. Quid vero scriptorem compulerit, ut post duodecim Heraclidarum et Bacchiadarum reges magistratum annalem nominaret, excerptor barbarus (p. 77) aperit, qui Antomeni, quem cum Eusebio a prytanum numero seiunxit, quattuor annos tribuit. Itaque aut praeente Schurzfleischio Malalae verba ita restituenda sunt: τῶν δὲ Κορινθίων μετὰ τὸν Λακεδαιμονίους ἐβασίλευσε τότε Ἀλήτης ἔτη λέ, καὶ ἄλλοι βασιλεῖς τα' ἔτη σπη' (cod. σοζ'). καὶ ὑστερον ἐβασίλευσαν πρυτάνεις, ἕκαστος ἔτος α'. (cod. ἐβασίλευσεν \* ἔτος α') κατέσχε δὲ ἡ βασιλεία Κορινθίων τὰ πάντα ἔτη τιγ' (cod. τιγ'), aut quod mihi quidem probabilius esse videtur nomen prytanis excidit, qui Automenem secutus est. Quamquam nescio an Malalae nomen notum fuerit, quod neque in excerptis barbaris, neque apud Eusebium legitur; si notum non fuit, scriptor ipse lacunam aliis explendam reliquerit. Verum utcunque ea de re statuis, regnum omissum esse probari nequit. Id tantum Bursiano libenter concedimus apud Strabonem (p. 378), qui secundum vulgatam librorum scripturam Bacchiadas ducentos annos imperium tenuisse testatur, reponendum esse: καὶ οἱ Βακχιάδαι τυραννήσαντες, πλούσιοι καὶ πολλοὶ καὶ γένος λαμπροί, τριακόσια (cod. διακόσια) ἔτη σχεδόν τι κατέσχον τὴν ἀρχήν, quamquam rationes accurate subductas non

esse appareat. Sed ut ad tabulam ut diximus emendatam revertamur, rationes ita adornatas esse vides, ut Heraclidarum tempora annos 178 complectantur et idem spatium Bacchidi ceterisque regibus Bacchiadarum assignatum sit.

Haec omnia quae ad illustrandas Hellanici rationes adtulimus, docent quam futilles leges fuerint, quibus chronographi Graeci in supputandis temporibus antiquissimis sese adstrinxerint. Etenim cum veteres ad aetatum mensuram calculos subducere soliti fuissent, subtilioris aetatis scriptores in eo non substiterunt, sed id quod sculptoris esse solet, ut singulas statuarum partes secum congruentes fingant, in temporum rationes transtulerunt. Talia Thucydidi displicuisse etiam sine testimonio coniiceremus, sed scriptor ipse (I, 97) tribus verbis illud significat: *τούτων δ' ὅσπερ καὶ πώποτε οὐ τῆς Αττικῆς ξυγγραφῆς, Ελλάνικος βραχέως τε καὶ τοῖς χρόνοις οὐκ ἀκριβῶς ἐπεμνήσθη.* Quae cum ad recentiora tempora spectent, colligere licet, quid de ceteris Hellanici rationibus Thucydides iudicaverit. Ceterum priscos fastos Atticos, quos Pisistrati aetate usque ad Melanthum exputatos fuisse suspicamur, Thucydides vix respuerit; quamquam inde usque ad Troiam captam propriam viam ingressus est. Quod si ita sese habet, Troianam calamitatem ad a. fere 798 ante bellum Peloponnesiacum (1229 a. Chr. = 1149 + 80) retulerit necesse est. Sed cum planis verbis eam aeram non respiciat, satis habebimus si ostendi poterit, scriptorem ex eis Troianae calamitatis definitionibus, quae Lacedaemoniorum fastis nituntur et aeram aera Atticorum iuniorem exhibent, nullam adhibuisse. Nam Herodoti calculos Thucydidi obtrudere velle absurdum esset. Iam vero cum Melum septingentis annis ante Ol. 91, 1 (416 a. Chr.) conditam esse statueret (V, 112), neque probabile sit eam coloniam ante redditum Heraclidarum a Lacedaemoniis constitutam esse, scriptor aeram Troianam infra annum 1196 (1116 + 80 = 1196) promovere non potuit. Arctioribus finibus rationes circumscriberemus, si Cononis memoria (narr. 36), tertia aetate post Doriensium migrationem insulam a colonis occupatam esse, et definitior et melioris fidei esset. Sed iam ex eis, quae protullimus, credo colligere licet, Thucydidem non ex Lacedaemoniorum fastis pendere, sed aliqua ex parte quidem priscis Atticorum fastis morem gessisse.

Paullo demum post Thucydidem prima vestigia Spartanorum regum tabulae reperimus, cui Alexandrinae rationes superstructae sunt. Atque ita fit, ut quem inter rerum scriptores primum φιλολάκωνα fuisse scimus — nam Xenophon post Ctesiam commentarios suos edidisse videtur — idem primus Laconicis fastis usus esse putandus sit. Ctesiae enim scripta quantum scimus prima sunt, in quibus aeram Troianam ad annum 1183, Lycurgi aetatem ad annum 883 relatam offendimus. Nam cum Herodotus Graeca tempora ad Asianas rationes exegisset, ille eximia orientalium rerum momenta

ex Graecorum definitionibus suspendit. Itaque Teutami regnum cum bello Troiano, Assyrii imperii interitum et origines Medorum cum Lycurgi aetate compensavit atque ea tempora ita constituit, ut post eum Apollodorus et Eratosthenes (cf. Ass. rer. temp. em. p. 12). Hinc probabile sit scriptorem, quem anno 398 ex Persia reducem in Lacedaemonem venisse constat (cf. Ctes. ed. Müller p. 1), Spartae libros de Assyriorum, Medorum et Persarum rebus, quos usque ad illum annum deduxit, vel composuisse, vel perfecisse et ibi fontem inspexisse, ex quo Graecorum temporum definitiones hausit. Quam diu ante annum 398 fasti illi orti sint, pro certo statui nequit, sed si id, quod supra (p. 6) suspicati sumus, Herodoto tabulas notas non fuisse, commendabile videtur, non ante finem saeculi quinti a. Chr. vel oblivioni erepti, vel contexti sint.

Et favet huic sententiae, quod ea aetate victorum Olympiorum tabulae primum ab Hippia Eleo collectae et in vulgus editae esse videntur (cf. Plut. Num. 1. E. H. Meier in Ersch u. Gruber's R. III, 3, 166) et, quod consequens est, tum demum primus primae Olympiadis annus constitui potuit. Nam quoniam in fastis illis prima Olympias ad eundem decimum annum tam Alcamenis quam Theopompi relata est, sine eius definitionis cognitione confecti esse non possunt. Quae utcumque sese habent, notatu dignum est Ephorum neque Atticis, neque Spartanis fastis fidem tribuisse, sed ad simplicissimam computandi rationem rediisse, quam Democritus iam praeivisse videtur. Etenim Heraclidarum redditum Ephorum ad annum 1090 retulisse, reiecto Clementis Alexandrini (Str. I p. 337) testimonio, Diodoro (XVI, 76) credimus. Inde vero usque ad Troiam captam duas tantum γενεάς ab eo numerari ex eo colligo, quod sicut Attici (cf. Pherec. fr. 39), Hyllum Thesei posteros adiisse narrat (fr. 11). Itaque Troianam calamitatem in a. 1156 (66 + 1090) posuerit. Idem fere Democritum statuisse ex Diogene Laertio (IX, 41) efficitur (cf. Fischeri fastos Graecos p. 13). Atque eum arbitror ex sua aetate ascendentem, numerandis aetatibus fortasse stemmatis Heraclidarum, ad illam definitionem pervenisse. Nam si Eurysthenidarum genealogiam ab Hyllo ad Pleistarchum (XXI, 480 a. Chr.) in censum vocaveris, rationes fere constare videbis (1146 = 480 + 666). Idem supputandi genus Ephoro vindicare non dubitabit, qui scit scriptorem ubique ad tabulas genealogorum provocare. Hinc sequitur in Strabonis verbis VI, 267 Eph. fr. 52 M: Φησὶ δὲ ταύτας (Naxum et Megara) Ἐφορος πρώτας κτισθῆναι πόλεις Ἑλληνίδας ἐν Σικελίᾳ καὶ τῇ γενεᾷ μετὰ τὰ Τρωϊκά, formam καὶ τῇ neque cum Cluverio et Heynio in πεντεκαιδεκάτῃ, neque cum Scaligero in δεκάτῃ mutandam, sed emendandum esse τριγκαιδεκάτῃ.

Non magis quam Ephoro, de auctoritate fastorum Spartanorum et Atticorum ultra primam Olympiadem persuasum fuisse videatur Timaeo. Scriptoris ignorantia illorum

monumentorum interponi nequit, praesertim cum notissimum sit, quid laudis in inspi-  
ciendis inscriptionibus et comparandis tabulis regum et ephororum Lacedaemoniorum, ar-  
chontum Atheniensium et sacerdotum Argivarum quaesiverit (cf. Polyb. XII, 11. 12.  
Diod. V, 1). Nam inter omnes satis constat Timaeum primum fuisse, qui aeram Olym-  
piadum rerum scriptoribus pervulgaverit, et cum antea tantum victorum nominibus  
Olympiades significatae essent, eas numeris notare docuerit. Quo magis mirandum  
est, eum in antiquissimis temporum rationibus a probabili fana abiisse. Annus quidem,  
cui redditum Heraclidarum adscripsisse fertur, (1154 a. Chr. = 1149 + 5) cum Atticis  
calculis componi possit; sed Clementis Alexandrini Str. I, 337 testimonium propter textus  
corruptelas magnae fidei non est (cf. Boeckh. C. I. II, p. 327). Etiam de definitione Troianaæ  
calamitatis est ambiguitas quaedam, sed magis illa de anno, qnani de aetate. Nam Censorini  
verba (d. d. n. 21), quae aeram Timaei ad a. 417 ante pr. Ol. (1193) referunt, sana non  
esse planissima Ttetzis ad Lycophronem v. 1141 (fr. 66 M.) nota docet. Etenim inde a Troiani  
belli aetate Locri per decem saecula binas virgines Minervae Troianaæ immolandas immittere  
iussi, ut deam, de Cassandra ab Aiace violata iratam, placarent, quotannis immane sacri-  
ficium preferendum curaverant; post Phocium demum bellum, constituto tempore cir-  
cumacto, oraculo satisfecerant: ita quidem Ttete teste apud Timaeum scriptum lege-  
batur. Ex ea igitur ratione Ilium mille vel si tres annos in censum vocamus, qui  
inter Aiakis mortem et oraculi responsum intercesserunt, mille tribus annis ante annum  
346 (a. 1349 a. Chr.) captum est. Atque haec definitio aliqua ex parte fragmento 53  
confirmatur, quod ex Timaei sententia Corcyram sexcentis (fere) annis post expugnatam  
Troiam conditam esse commemorat; ea enim conditione aeram ad a. fere 1335 (735 +  
600) referatur (cf. Fischeri f. Gr. 11. 69). Iam vero apertissimum est Locris neque  
Atticas, neque Spartanas rationes placuisse, quae exoptatissimum mille annorum finem  
centum quinquaginta fere annis ab illa aetate removebant. Itaque tales immolatarum  
virginum tabulas produxerint (cf. fr. 66), quae omnes dubitationes de illius aerae  
definitione profligarent. Timaei autem avitae patriae amor tantus erat, ut accuratissi-  
mas temporum rationes (Diod. V, 1) ad nova illa commenta, a civibus tam callide ex-  
cogitata, accommodaret. Et quoniam dementissima quaeque nunquam imitatores deside-  
rant, mirum non est, quod a Duride Samio fere eandem Troianaæ calamitatis aeram  
proferri videmus; nam Clemente Alexandrino teste (Str. I p. 337) anno millesimo  
ante Alexandri in Asiam transitum (i. e. a. 1334) eam adscripsit.

Haec omnia inter se colligata et in uno conspectu posita abunde demonstrant,  
quantopere Graecorum tempora critico emendatore eguerint, qui inter varios calculos pro-  
batissimum eligeret, ceteros omnes, etiamsi Herodotos, Ephorus, Timaeos auctores ha-

berent, respueret. Atque grammatici Alexandrini, quibus id curae fuit, omnino tantum de Spartanorum et Atticorum fastorum fide et auctoritate certare potuerunt, ceteras rationes futilles esse extemplo intellexerint. Cur Spartanorum regum tabulas praetulerint, Atticas contempserint latet; eos ita fecisse, ex verbis Diodori apud Eusebium p. 166 constat: „Quoniam a rebus Troianis usque ad primam Olympiadem difficilis temporum notatio est, propterea quod eo intervallo neque Athenis, neque aliis in urbibus anni magistratus fuerunt: idcirco nos ad eam rem utemur Lacedaemoniorum regibus.“

Sed notandum est ne de Spartanis quidem regnis prorsus constantem memoriam fuisse. Nam si de senioris aevi commentis discedis, omnino duplex tabulae recensio nobis tradita est, altera Eratosthenis et Apollodori, quam Ctesiae iam notam fuisse vidimus, altera Sosibii Laconis, qui Alexandrinis illis aetate paullo superior fuit. Eas quatenus ex fragmentis licuit infra secum contendimus.

### Rationes

Sosibii Laconis		Eratosthenis	
Troiana expeditio	a. 1181	a. 1193	a. Chr.
Troiae excidium	1171	1183	
Reditus Heraclidarum	(1091)	1103	
Charilai	a. 1 (a. 64)	873	Charilai a. 1 (a. 60)
	a postr.	810	884
Nicandri	a. 1 (a. 39)	809	Nicandri a. 1 (a. 39)
	a. 34	776	825
Nicandri	a. postr.	771	786
Theopompi	a. 1 a. 10 a. 47	770 761 724	785 776 739

De Sosibio Lacone cf. Müller fr. h. Gr. II, 626, de Eratosthenis calculis Euseb. p. 166 sq., Fischeri f. H. p. 4 et 34. Nicandro apud Eratosthenem annos 39 pro annis 38 tribui, ut eius rationes, ex quibus Lycurgus anno 108 ante Ol. 1 Charilai tutelam suscepit, inter se constarent. — Eandem quindecim annorum varietatem etiam in diversis primi Messenii belli notationibus reperimus. Etenim Pausanias (IV, 5, 10; 6, 5; 13, 5), qui ab anno 743 usque ad a. 724 pugnatum, et ex Tyrtaeo bellum a Theopompo ad finem perductum esse tradit, cum Sosibii rationibus, si quidem ille sicut Eratosthenes Theopompo annos 47 vindicavit, in concordia esse videtur, a rationibus Eratosthenis et

Apollodori dissentit. Nam neque Alcamenis (785—753) neque Theopompi (785—738) tempora ab illis constituta in Pausaniae memoriam quadrant, qui illum anno 743 vel 742 obiisse, hunc usque ad a. 724 vixisse refert (cf. Paus. IV, 7, 7).

Consentaneum est eas discrepantias etiam in Eurysthenidarum tabula comparere, sed eius tantum Apollodoream recensionem habemus, quam Eusebius p. 166 sq. ita expressit:

Eurysthenis	a.	42
Agidis	a.	1
Echestrati	a.	31 (35 p. 167)
Labotae	a.	37
Doryssi	a.	29
Agesilai	a.	44
Archelai	a.	60
Telecli	a.	40
Alcamenis	a.	38 (37 p. 167)

322

,In huius anno decimo pr. Ol. comperitur.‘

Itaque a reditu Heraclidarum usque ad primam Olympiadem anni 293 supputantur, id quod a summa, quam Eusebius et alii (cf. Fischer l. c. p. 4) Eratostheni et Apollodoro vindicant, triginta quattuor annis recedit. Ut concordiam restitueret, O. Müllerus (Dor. II, 482. 468) statuit Aristodemum anno post reditum Heraclidarum obiisse, Eurysthenem trigesimo anno post regnum incepisse, in fastis vero 30 annos pupillaris aetatis notatos non esse, denique Echestrato (ex Eusebii p. 167) 35 annos, Archelao 38 annos tribuendos esse. At regum tempora in Lacedaemoniorum tabulis ex decessoris morte supputari, definitio regnorum Archelai et Charilai prodit (cf. Krebs Lect. Diod. c. 4). Eam difficultatem ut eluderet Clintonus (F. H. I p. 332), Agidi annos triginta addere proposuit. Sed Clintoni coniectura non magis quam O. Müllerri sententia ferri potest, si quidem ex incorrupta tabula Clemens Alexandrinus Strom. I, p. 327 Tatiani verbis: *οἱ δὲ περὶ Ἀπολλόδωρον (φασὶ τὸν "Ομηρον ἡκμακέναι) μετὰ τὴν Ιωνικὴν ἀποικιαν ἔτεσιν ἐκατόν,* quae paene sine mutatione expressit, additamentum: *'Αγησιλάου τοῦ Δορυσσαίου, Λακεδαιμονίων βασιλεύοντος* (cf. Ap. fr. 74 M.) adscripsit. Nam Clintoni rationes Agesilaum ad annum 114, calculi Müllerri ad annum 116 post Ionicam migrationem referunt. Hinc patet annos triginta non ante, sed post notationem Agesilai excidisse. At quis ausit Archelai regnum sexaginta annorum triginta annis

augere? de corrigendis autem annis quadraginta Telecli ne cogitari quidem potest, quoniam ea mutatione ratio satis constans, ex qua Archelaus et Charilaus aequaevi fuerunt (cf. Plut. Lyc. 5 Paus. III, 2, 5), prorsus turbaretur. Alcamenis denique regnum tam fixum est, ut ex eius definitione omnia pendeant. Quae cum ita sint, duplex via ad expediendam difficultatem relictā est. Aut Agesilao ipsi pro annis 44 anni 74 vindicandi sunt, id quod perincommode esse appetet; aut regnum, Eusebii incuria inter Agesilaum et Archelaū omissum, supplendum est.

Iam vero exstat fons hucusque ab omnibus neglectus, qui eo ipso loco quo nomen requirimus, regem interponit. Excerptorum enim barbarorum (Eus. Scal. p. 77) tabula haec est:

(Euseb.)			
Erystheus	ann. XLII		1103
Egeus	ann. II	1	1061
Echestratus	ann. XXXIV	31 vel 35	1059
Labotus	ann. XXXVII		1025
Doryssus	ann. XXIX		988
Agesilaus	ann. XXX	44	959
Cemenelaus	ann. XLIV	*	929
Archelaus	ann. LX		885
Celeclus	ann. XL		825
Alcamenus	ann. XXVII	38 vel 37	785
	345		Alcam. a. 10 776
Automedus	ann. XXV		

Vides nomina misere detorta esse ab homine neque graece neque latine docto; quod Alcameni subiicitur nomen Automedi, ex nomine Automenis corruptum, de Corinthiorum regum serie, quae apud chronographos fastis Lacedaemoniorum annexi solebat (cf. Exc. b. l. c. Euseb. p. 165. Sync. I, 336 Ddf.), irrepsisse suspicor. Cetera quamquam ab Eusebio subinde discrepant, non nauci habenda sunt; quippe quae ex Africano excerpta sint. Id inde colligo, quod prima Olympias ad annum primum regis Achas notata est; quae neque Eusebii (cf. p. 318) neque Syncelli (cf. II, p. 203), sed Africani sententia fuit (cf. Sync. I, p. 372 ed. Dind.). Accedit, quod rationes ita secum constant, ut et Alcamenis annus decimus cum prima Olympiade competit, et Homeri aetas, vel centesimus annus post migrationem Ionicam, cum Agesilai regno conveniat. Tantum de Alcamenis annis 27 dubitari potest, quamquam hoc in Eusebium quoque cadit. Nam idem quod apud

Eusebium p. 318 et Syncell. p. 350 ed. Dind. legimus, Lacedaemoniorum reges annos 350 regnavisse, etiam excerptor barbarus profert. Iam vero ita eorum omnium rationes comparatae sunt, ut illa summa in nullam quadret. Barbarus enim usque ad Alcamenis decessum tantum annos 345, Eusebius vel 322 (p. 166) vel 324 (in can.), Syncellus denique a. 321 (4744—4423) computat. Igitur manifestum est annorum 350 calulum Apollodori esse, et ex eius mente Alcameni annos 32 assignandos esse. Eusebius quinque annos adiecit, ut annus postremus Alcamenis in primam Olympiadem caderet. Nam triginta annis omissis Apollodori rationes non iam exprimi potuerunt, et tamen secundum Diodori verba: „nos vero singulos ex his familiis reges percenseamus usque ad primam Olympiadem, quae Eusebius primo chronicorum libro (p. 166) exscripta, tabula usque ad pr. Ol. deducenda esse videbatur.

His ita profligatis novi Spartanorum regis nomen „Cemenelaus“ adeundum est. Quid ineptae formae subsit iam Scaliger perspexit; in Graecis enim *καὶ Μενέλαος*, fuisse nota marginis significavit. Atque alterum illum Menelaum in Spartae regnum restituere, tanto rationum concursu propemodum cogimur, et tamen confitendum est videri rem ingentis audaciae esse. Etenim et Herodoto VII, 204 et Pausania III, 2, 5. 6 testibus Archelaus Agesilai filius fuit, proptereaque in imperio proxime non succedere non potuit; nam quominus Menelaum tamquam natu maiorem Archelai fratrem interponamus, nimia regnorum spatia prohibent: immo qui Menelao regnum ac diadema retulerit, idem patrem ei Agesilaum, filium Archelaum reddet. Omnino autem tenendum est tenuem tam veteris memoriae discordiam nihil habere quod offendat. Notissimum enim est quantopere scriptores de Lycurgi vita et aetate dissideant, et quam diversa a ceteris omnibus ipse Herodotus ea de re tradat (cf. I, 65 Plut. Lyc. 1), Pausaniam vero aliam Spartanae tabulae recensionem atque Alexandrinos ante oculos habuisse, iam ex Messenii belli definitionibus vidimus. Quae omnia cum ita sint, Menelaum fastis Apollodori inserere et iisdem excerpti barbari calculos vindicare non amplius dubitabimus.

Praeter Sosibii et Eratosthenis fastorum Laconicorum recensiones tertiam fuisse ex rationibus Thrasylli, fortasse celebris illius astrologi et philosophi, qui Tiberii familiaris fuit, intelligitur. Ea redditum Heraclidarum decem annis posuit superiorem quam rationes Eratosthenicae (cf. Fr. h. Gr. ed. Müller III p. 503). Sed sequioris ea fuerit aetatis et vix digna videtur, in qua commoremur. Ex ea fortasse Orosii (I, 21) definitio (772—752) belli Messenii fluxit, quae a calculo Pausaniae viginti novem annis distat. Inter utramque notationem Eratosthenica media fuerit, quam accuratius circumscribere non possumus.

Vidimus Alexandrinos fastis regum Lacedaemoniorum ducibus, redditum Heracli-

darum ad annum 1103 retulisse. Quibus tabulis freti Troianam calamitatem anno 1183 adsignaverint, tantum significavimus, nondum probavimus. Etenim verisimile est familias Atridarum gentis, quas et Cumis et in Lesbo per aliquod tempus imperium tenuisse constat (cf. O. Müller Gr. Liter. I, 51. n. 75, 1), iam pridem illustrissimae aetatis heroicae ἀναγραφάς ex poetarum fama contextas habuisse. Hinc fortasse fluxerit, quod inter omnes convenisse videtur, decimo octavo anno Agamemnonis Ilum captum esse (cf. tabulam i. p. et Clem. Al. Str. I, 321). Iam qua ratione octoginta annorum spatium a Troia capta usque ad migrationem Dorieusem ex comparatione stemmatis Atridarum et Heraclidarum subductum sit, supra eruere periclitati sumus. Ad eandem mensuram regum Atridarum tabula exacta fuit, qua Alexandrini ad constituendam aetatem calamitatis Troiana utebantur. Nam patet in hac re maxime consentaneum fuisse ad eos fastos provocare, qui ex antiqua poetarum memoria Agamemnonis mortem, a cuius notatione Troiana aerae constitutio pendet, definire viderentur. Sed quantae audaciae esset eas ex colluvie variarum recensionum restituere velle, ex illarum conspectu apparebit.

	Euseb. p. 131	Sync. 320 Dind.	Exc. b. p. 75	Rationes Eus. Sync. exc. barb. restitutae	Velleius I, 1
Agamemnonis anni	30	19 (18) vel 35	33	33	
Troia capta Agam. anno	18	19 (18)	18	18	
Agam. post c. Troi. a.	12		15	15	
Aegisthi a.	17	5	7	7	7
Orestis a.	{ 58	{ 23	28 { 50 (58)	{ 58	70
Penthili et Tisameni a.	{ (65)	{ (65)	22 { 50 (58)	{ 3	3
	87	93	72	80	80

Id tantum manifestum est ceteris rationibus, quae Agamemnonis regnum quindecim annis producunt, Velleii rationes praferendas esse, sed quis eas cum aliqua confidentia Alexandrinis vindicare ausit?

Non minores difficultates usque ad origines Argivorum ab aera inde Troiana ascendentibus viam nobis obstruunt. Persei quidem regnum annis 186 (vel 178) ante Troiam captam incepisse, ex Clemente Alexandrino Str. I, 322 (Apoll. fr. 72 Müll.) discimus. Sed tempora Inachidarum et Danaidarum ex mente Apollodori constituere, conjectuae est. Etenim sperandum est, rationum Alexandrinarum vestigia nos apud senioris aevi chronographos reperturos esse. Atque Castor, Ciceronis aequalis, quem Eusebius sequitur, Inacho et eius posteris annos 382, Danaidis annos 162 tribuit. Quorum utrumque, quamquam non sine parvis mutationibus, ex Alexandrinis fluxisse, Diodori fragmentum apud Malalam (Chron. p. 68. Diod. p. 635; apud Dind. IV, p. 181), quod

Argivorum regnum (*κατέσχεν οὖν ἡ βασιλεία ἦτοι τοπαρχία τῶν Ἀργείων ἐπη φυδ*) a. 549 stetisse testatur, comprobare videtur. Nam Diodorum ex Alexandrinorum calculis pendere, ex plerisque exemplis iam supra allatis constat. Itaque si eam memoriam ad tempora inde ab Inacho usque ad Acerisium (cf. Euseb. p. 131) retulerimus, Apollodorus primum Argivorum regem anno 735 (549 + 186) ante Troiam captam, anno 1918 a. Chr. adsignaverit. Iam consequens erat, ut aetas Ogygis, Phoronei aequalis, ab Atticis constituta, septuaginta duobus fere annis removeretur (1918 — 50 = 1868. 1868 — 1796 = 72); nam Inacho quinquaginta anni tribuuntur (cf. Euseb. p. 130). Neque difficilis emendatio erat, postquam Philochorus reges ante Cecropem fabulis reddiderat. Quid de Cecropis aetate Alexandrini statuerint, dici nequit; sed omnino fastos Atticos ad illorum rationes revocandos fuisse apertum est. Etenim a Troia inde capta usque ad annum pr. Melanthi viginti anni (80—60) addendi, a Melanthio inde usque ad Charopem anni quadraginta sex (1149 — 1103 = 46) demendi erant, ut tabulae Atticae cum fastis Laconicis in concordia essent. Auctor Eusebii, qui satis habuit aeram Troianam anni 1183 inferre, sexaginta vero annos ante redditum Heraclidarum non tetigit, Apollodori approbationem vix inventurus fuisset. Et re vera Alexandinos tabulam regum Atticorum a ceteris diversam sibi comparasse tenue vestigium exstat. In Apollodori enim bibliotheca III, 14, 6, 2 Amphictyoni duodecim annos adscriptos reperimus, id quod ab Eusebii et excerptorum barbarorum rationibus pariter recedit.

Ceterum nullus dubito, quin grammatici illi eos semper calculos elegerint, qui ab aetatum rationibus non nimis abhorrebant. Inde quidem explicare licet, cur Ionicam migrationem, quam Codri filius Neleus eduxit, sexaginta annis post redditum Heraclidarum posuerint; duas enim Melanthi et Codri aetates numerus complectitur. Idem fastis Argivis comprobatur, quamquam ei ad Herodoteam mensuram γενεῶν exacti sunt. Apollodoro enim (II, 1. 2) Agamemnonis aetas vigesima altera fuit post Inachum (cf. Cl. Alex. Str. I p. 320 qui 20 vel 21 γενεᾶς numerat scilicet non inclusio Agamemnone). Quod quam bene definitioni annorum 735 (=  $33\frac{1}{3} \times 22 + 1\frac{2}{3}$ ) respondeat, uberius explicare taedet.

Reliquum est, ut etiam Sicyoniam tabulam, quae apud Sync. 181 Dind. fr. 71 M. Apollodoro tribuitur, ad aetatum rationes conformatam esse probemus. Atque faustum augurium est, quod anni 967, qui Sicyoniis regibus adscribuntur, viginti novem hominum aetates explet (29 ×  $33\frac{1}{3}$  =  $966\frac{2}{3}$ ). Neque inde quod viginti sex tantum reges fuerunt, sequitur eundem γενεῶν fuisse numerum. Idem enim in fastis Sicyoniis, fieri potuit, quod in Argivis tabulis factum esse scimus: ut summa aetatum summam regum superaret. Haec constituere volui, priusquam ad aliam quaestionem accederem. Etenim ut statim dicam quod sentio, calculi

illi Sicyonii Apollodoro abiudicandi sunt, et in Syncelli verba : ‘Ομοῦ τὰ πάντα τῆς Σικυωνίων ἀρχῆς ἐπη ἄ, ὡς Ἀπολλόδωρος καὶ ἐπεροι, ἐν οἷς καὶ Εὐσέβιος ἔγραψαν, nomen Apollodori pro nomine Castoris vel alio quo irrepsit. Nam rationes ita comparatae sunt, ut fasti Sicyonii ad aetatem multo remotiorem descendant, quam fasti Argivi, id quod sententiae Apollodori quam maxime contrarium est. Qua in re eis nitimur, quae Eusebius p. 126 sq. ex Castore exscripsit, quoniam a definitionibus Syncelli paucis tantum annis recedunt. Itaque Zeuxippi annum postremum ad annum 385 (352 + 33) ante pr. Ol. a. 1162 a. Chr., Aegialeum vero ad a. 2128 a. Chr. referemus. Verum enim vero qui ex his rationibus duobus fere saeculis distant Aegialeus et Phoroneus, in Apollodori bibliotheca II, 1 fratres nominantur ex eodem patre Inacho nati. Accedit, quod Telchinus et Thelxion, qui Apidem Phoronei filium necasse traduntur (Apoll. II, 1, 1, 6), in tabula Sicyonia tertium et quintum locum occupant (Euseb. p. 127. Paus. II, 5, 6). Inde credo satis apertum est, sequioris aevi esse Aegialeum superiorem ponere Phoroneo, quem antiquissima fama pro primo homine habuit (cf. Acus. 14).

Etenim postquam Alexandrini coeperunt fastos Assyriorum, Babyloniorum, Aegyptiorum cum fastis Graecorum contendere, exsisterunt qui varia inter se componere, similia exhibere et illustrare niterentur. At mox viderunt nimis vetustam esse Aegyptiorum et Babyloniorum antiquitatem, cui ex Graecis fabulis quidquam exaequari possit. Itaque in eo substiterunt, ut Thuoridem, regem postremum dynastiae XIX, praeeunte Manethone cum Polybo et bello Troiano, atque Armaidem vel Armessem regem d. XVIII. cum Danao componerent, quamquam quod postremo loco posui chronographis senioris aetatis tribuendum erit. Sed tempora Menis, vel primi regis memoriae Babyloniorum cum originibus Graecis ullo modo contendere ausi non sunt. Ad talia commenta tabula regum Assyriorum, quae non tantam rationum vetustatem affectabat, aptior videbatur. Atque a Graecorum fama quam proxime aberant, qui Bellum, Danai patrem (Apoll. II, 1, 4. 4), cum Belo patre Nini componebant. Sed ea conditione mirum quantum vel Nini aetas promovenda, vel Danai tempora removenda erant. Itaque nisi forte Thalli rationes, de quibus infra disseremus, ex Argivorum fastis pendent, commodius visum est, antiquas fabulas reiicere et novas excogitare. Etenim facillimum esse videbatur aetatem vetustissimorum Graecorum regum tot annis producere, quot a Nini et Beli temporibus dissidebat, et memoriam ipsam ullo modo ad ea commenta adaptare. Iam vero ita constare videbantur fasti Argivi, ut sine magnis fabularum mutationibus eas ex Assyriis calculis suspendere non ausi sint. Eo facilis Ogygis aetas promoveri potuit, quae post Philochori audaciam cum Cecropis temporibus arbitrario tantum annorum numero, non certo regum ordine connexa erat.

Paullo callidius Sicyoniae tabulae tractandae erant, cum antiqua fama ab Aegialeo usque ad Lacestadem, qui Phalcis, Temeni filii aequalis fuit, non maiorem aetatum numerum numerasse videatur, quam fabulae Argivorum inter Phoroneum et redditum Heraclidarum. Pausanias enim II, 5, 6 sq. viginti sex Sicyoniorum regum aetas perhibet, et totidem Argivorum ab Inacho numerabant, qui Heraclidarum stemma sequebantur. Sed temeritas chronographorum talia obstacula sine ullo negotio exsuperabat. Nam qui eorum artificia norit, non mirabitur, quod in Castoris tabula, quam Eusebius exscripsit, quinque regum nomina, quae Pausaniae nota non erant, interiecta reperiuntur. Verum ut Assyriorum et Graecorum fastorum concordia etiam fabularum ratione aliqua ex parte commendaretur, Ogygem Titanibus adscribabant, et ita eum fratrem creabant Beli, quem iam alii cum Crono composuerant. Ita enim et a Castore (Euseb. 36. fr. 1. ed. Müller), aequali Ciceronis, et a Thallō (Fr. h. Gr. III, 517), qui primo saeculo post Christum vixisse videtur, fama corrupta exhibetur. Atque Thallus varios calculos ita secum conciliavit, ut nescio qualem Ctesianae tabulae recensionem secutus, Belum usque ad tempora vel Belei vel Balatorae promoveret et ad eandem rationem Ogygis aetatem reduceret. Nam Thallus Belum ad annum 322 ante bellum Trojanum, annum 1515 a. Chr., Ctesias Balatoram ad annum 1535 retulit (cf. Assyr. r. t. em. p. 58 sq.).

Castor quamquam non tantopere in Ctesianas rationes saeviit, quam Thallus, tamen et ille saltem viginti sex annis (1306—1280) calculos imminuit. Sed etiam alia et in Graecis et in Assyriis fastis novavit et transformavit, ut Ogygis et Beli, Aegialei et Nini aetas competeret. Quae omnia rationibus ipsis, quas ex fragmentis restitutas infra in uno conspectu posui, melius patefient, quam longa explicatione. Hoc loco ea tantum exponam, quae tabulae adornationi fundamento fuerunt.

Nam quod iam ante hos quinque annos suspicatus eram (Ass. r. p. 13, 4), Castoris calculos Assyrios excerptorum barbarorum adminiculo resingendos esse, nunc probare possum. Etenim summam annorum 1430, quam excerptor barbarus calculis subscriptis, aperte corrupta est ex notatione annorum 1340, quain in fonte suo inventerat. De qua si Beli annos 60 (exc. a. 62) Dempseris, summam Castoris habes annorum 1280, a Nino inde priore usque ad Ninum alterum subductam. Singula persequitaedet, id tantum addo Sardanapalo ex Eusebio annos 20 (pro a. 30) tribuendos esse, ut Teutami a. 32 cum aera Troiana a. 1184 vel 1183, quam Castori vindicare non dubito, concurrat. Definitionem aetatis Melanthi et redditus Heraclidarum ex rationibus regum Atheniensium elicui, quas Eusebius p. 134 exscripsit. Ibi enim annos 319 pro 209, et pro annis 52 annos 58 (ex Euseb. p. 301) reponendos esse, cum iam per se probabile sit, tum Sicyoniis fastis etiam confirmatur. Nam si ex Castoris

mente reditus Heraclidarum et Melanthi tempora anno 1129 adsignamus, intelligitur, cur scriptor fastos Sicyonios usque ad eundem annum deduxerit. Iam vero consequens est, ut ei qui Alexandrinas rationes in Doricae migrationis constitutione sequebantur, annum postremum Charidemi ad annum 1103 referrent. Quorum utrumque ab Africano factum esse excerptor barbarus (p. 75) testis est. Haec paullo accuratius exposui, quod a C. Müllero (ad Cast. reliquias p. 168) non perspecta sunt. Denique regibus Sicyoniis ex Hieronymo (Eus. p. 19 Scalig.) annos 962 adscripsi, ut Aegialei annus primus cum primo anno Nini competeteret.

Ctesiae rationes

Nini a. 1	2188	
		1005
Teutami a. 25	1183 Troia capta	
		301
Sardanapali a. 19	883 Lycurgi aetas	
1306		
Arbacis	a. 1 882	

C a s t o r i s r a t i o n e s

Beli (a. 1 2183) (Exc. barb.)	Nini I. a. 1 2123	(Ogygis a. 1 2183)	cf. Eus. p. 134 et 301.	Eus. p. 126.
Nini a. 1 2188	941			Aegialei a. 1 2123
Teutami a. 25 1183 Troia capta	Teutami a. 32 1183		396	962
	339		450	
Sardanapali a. 19 883 Lycurgi aetas	Nini II. a. 19 844	Cecropis a. 1 1579	54	
1306	1280	Menesthei a. postr. Troia capta 1183	58	Zeuxippi a. 31 1161
Arbacis a. 1 882	Arbacis a. 1 usque ad Ol. 1 anni 67	Melanthi a. pr. 1129 red. Heraclid.	319 (c. 309)	Sacerdotes 7 a. 33
	Pr. Ol.	Codri a. postr. 1072		Charidemus fugit 1128
		Medontis a. 1 1071		Charidemus fugit 1128
		Alcmaeonis a. postr. 753	Pr. Ol.	776

Ad idem genus rationes pertinent, quas Clemens Alexandrinus (Str. I, 336. 145 Sylb.) his verbis expressit: Εἰσὶ δὲ, οἱ ἀπὸ Κέκροπος μὲν ἐπὶ Ἀλέξανδρον τὸν Μακεδόνα, συνάγοντις ἔτη χῖλια ὄκτακόσια εἰκοσι ὄκτω, ἀπὸ δὲ Δημοφῶντος, χῖλια διακόσια πεντήκοντα· καὶ ἀπὸ Τροίας ἀλώσεως ἐπὶ τὴν Ἡρακλειδῶν κάθοδον, ἔτη ἑκατὸν εἰκοσι, ἥ ἑκατὸν ὅγδοηκοντα. ἀπὸ τούτου ἐπὶ Εὐαίνετον ἀρχοντα, (334 a. Chr.) ἐφ' οὗ φασὶν Αλέξανδρον εἰς τὴν Ασίαν διαβῆναι cet. Nam in propatulo est nonnisi senioris aetatis chronographos ab omni probabili memoria discedentes a Troia capta ad redditum Heraclidarum centum viginti vel centum octoginta annos supputare potuisse. Sed fuisse, qui Cecropem ad annum 2162 a. Chr., Demophontem ad a. 1584 retulerint, prorsus credi nequit. Itaque in locum Cecropis substitendum est nomen Ogygis, in locum Demophontis nomen Cecropis. Nam qui Ogygis aetatem anno 2162 adscripsit, non multum absuit a Castoris rationibus; qui Cecropis tempora ad a. 1584 notavit, marmoris Parii calculos adhibuit (cf. supra p. 12).

Inter omnes Graecorum temporum notationes notatio Ogygis maxime flexibilis erat ex causis, quas supra iam exposui. Inde explicandum est, quod apud Censorinum (d. d. n. 21) Ogygem ad annum fere millesimum sexcentesimum ante pr. Ol., millesimum ducentesimum ante Troiam captam (a. 2383 a. Chr.) referri legimus; quamquam non assequor, ex quonam Asianae historiae momento haec pendeant.

Prorsus novum fabularum contortarum exemplum Cephalio, Hadriani aequalis, produxit. Qui cum ex Graecorum fama meminisset Medum, Medeae filium, Medici in Asia imperii conditorem fuisse (Apoll. I, 9, 28, 5) eumque ad Troiani fere belli tempora referri, Ctesiae calculos tam feliciter emendavit, ut paullo post eam aetatem Assyrium regnum interiisse et Medorum res effloruisse viderentur. Operae pretium est tantam temeritatem ipsis scriptoris verbis, quae Eusebius p. 43 interire noluit, illustrare: „Ab Aegea rege discessit (sc. Mithraei temporibus) Medea Colchis femina saga. Huius filius erat Medus, unde Medii et regio Media dicta. Mithraei inquit, imperium excipiebat successor Teutamus, qui ad mores legesque Assyriorum vitam suam exigebat, nihilque novi per eum siebat. Agamemnon atque Menelaus Mycenaei expeditionem cum Argivis faciebant adversus Ilium urbem, in qua Priamus Phryx militarem praefecturam gerebat. Priami exemplar quoque literarum ad Teutatum circumfertur eiusmodi. (literas ipsas, scilicet ex cuneatis inscriptionibus a Cephalione haustas, apponere desisto) ,Hinc diserte ait, missum esse a Teutamo auxilium, ducemque exercitus Memnonem, Tithoni filium, quem insidiis exceptum Thessali interemerunt. Ait postea diserte, Sardanapallum anno tertio decimo supra millesimum (sc. septimo anno post Troianam calamitatem cf. Ass. rer. temp. em. p. 58, 1) Assyriorum regem esse creatum: cuius et exitium memorat. Tum

sublato Sardanapallo, Assyriorum imperium a Varbace exstinctum et ad Medos esse translatum.<sup>4</sup>

Omnes, quos hucusque commemoravimus, Graecas res cum Asianis contenderunt. Haud multum differunt eorum studia, qui Macedonum et Romanorum temporum rationes ad certa Graecorum fastorum momenta annexerunt, et illorum fastos ad fixos Graecorum annalium terminos adaptaverunt, eodem fere modo atque Ctesias Assyrios calculos tractavit. Etenim sine aliqua vi Macedonum origines ad primam Olympiadem non alligata sunt, quamquam aetatum rationes Carani regnum usque ad illud fere tempus deduxisse vidimus. Haec notatio Alexandrinae aetati tribuenda erit, alteram, quae Carani tempora usque ad a. 812 removit et cum Assyrii imperii fine coniunxit, sequiorum scriptorum esse arbitror (cf. Eus. 169, can. p. 315 sq. Fr. h. Gr. III, 692). Quod ad Romanos fastos adtinet, non credo forte et casu factum esse, ut in eis regifugium ad eundem annum notatum reperiatur, atque in annalibus Atheniensium expulsio Pisistratidarum. Qui hoc modo Atheniensium calculos cum calculis Romanis composuerunt, Catonis aetate imitatores nacti sunt. Nam Cato a vetere Fabii ratione, quae ab urbe condita usque ad primum annum libertatis annos ducentos quadraginta supputabat (cf. supra p. 20), discessit et Romanas origines ad Ol. VII, 1 a. 752 retulit, cui Attici Charopem, primum archontem decennalem, adscripserunt. Itaque nisi ipse varia chronographorum ludibrija exagitans numerorum ludis fallor, haec Graecorum scriptorum curis debentur, qui Romanam famam cum Graecis fabulis ullo modo coniungere et rudes dominos vettustae suae nobilitatis participare studebant.

Reliquum est, ut ea quae disputatione nostra lucrati sumus, paucis verbis complectamur. Itaque omnes Graecorum temporum rationes primitus ex aetatum calculis pendent. Atque hoc genus supputandi nonnullis ea tantum conditione probabile visum est, si ex sua inde aetate stemmatum vestigia persecuti, usque ad antiquissima tempora ascenderent. Viam praeiverat Democritus, cuius vestigiis centum fere annis post Ephorus ingressus est. Neque illi sine prudentia ita egisse putandi suut, cum satis constet, eam rationem eo certiorem esse, quo maiora temporis spatia comprehendat, ad minora contra adaptatam fallacissimam apparere. Sed omnino Democriti aetate fasti, qui a certo octavi vel septimi saeculi momento profecti, regna usque ad redditum Heraclidarum et Troiam captam describerent, partim nondum contexti, partim non noti erant. Nam Herodotus quidem Graecorum annalium adminiculo destitutus, ad orientalium monumenta confugit, ex quibus Herculis, Panis et Troianaee expeditionis tempora definiret. Hellanicus demum primus fuit, qui in Graecos fastos tanto cum fructu inquisivit, ut synopticum rationum conspectum conferre, et ubique diversitatem componere posset. Quae

omnia Atticorum fastorum fundamento superstruxit. Etenim iam Pisistrati aetate Nelicdarum regum et archontum tempora a Melanthono inde usque ad Agamestorem (817 a. Chr.), a quo probabilem memoriam incepisse verisimile est, ad aetatum mensuram supputata fuerant, sed illae tabulae in Persici belli turbis neglectae, ab Hellanico primum resectae et adhibitae esse videntur. Inde redditum Heraclidarum ad annum 397 ante Charopem, primum archontem decennalem (a. 1149 a. Chr.), et Troiam captam ex Thesidarum stemmate ad sexagesimum annum ante Melanthum (a. 1209 a. Chr.) retulit. Verum ut Ogygis aetas cum Phoroneo Argivo, Cecropis tempora cum Deucalione connecti possent, ea adeo removit, ut Cecrops a Troia capta tot annis distaret, quot Melanthus a Charope. Praeterea tabulam a Cecrope usque ad Melanthum tam ingeniose adornavit, ut eundem regum numerum complecteretur, quem tabula Nelicdarum usque ad Charopem exhibit. Hellanicum Philochorus et fortasse ceteri quoque scriptores de antiquitatibus Atticis religiose secuti sunt; alii eas tantum rationes in suum usum converterunt, quae scriptorem ipsum ex antiquis fontibus hausisse vidimus. Itaque Thucydides, Phanias Eresius, scriptor marmoris Parii et fortasse etiam Timaeus definitionem immigracionis Nelicdarum a monumentis illis mutuati sunt, sed eorum duo tantum, Phanias et scriptor marmoris, etiam aeram Troianam ab Atticis sumpsisse videntur. Cur marmoris auctor — ut id hoc loco addam — in constituenda aetate Cecropis ab Hellanico viginti duobus annis discesserit, proclive dictu est. Nam cum tempus annorum 397, quod scriptor Lesbicus inter Cecropem et Demophontem exputaverat, ad aetatum rationes non bene exactum esset, eum errorem ille tam feliciter correxit, ut summa annorum 564 (189 + 375) ab Ogyge usque ad Demophontem subducta, aetatibus septendecim (v. supra p. 19) annorum  $33\frac{3}{17}$  iustissima ratione respondeat.

Eodem fere tempore, quo Hellanicus fastos Atticos consarcinavit, regum Spartaniorum et Corinthiorum tabulae exaratae fuerint, quas Eratosthenes et Apollodorus pro probatissimis adminiculis ad Graecorum temporum emendationem habuerunt. Iam ex diversa Atticorum et Lacedaemoniorum memoria diversae notationes reditus Heraclidarum et Troianae calamitatis ortae sunt. Etenim annales Attici, qui a Troia capta ad Melanthum duas, inde usque ad pr. Ol. tredecim aetates numerabant, fastos Lacedaemoniorum, qui totum spatium undecim vel duodecim aetatibus explebant, et aetatum et annorum numeris exsuperabant. Nam inter tres Spartanae tabulae recensiones, quae nobis innotuerunt, nulla Troiam captam ultra annum 1193 a. Chr. removit; et eum annum aera tantum Thrasylli adtingit; nam Sosibius Laco Troianam calamitatem ad annum 1171, Alexandrini ad annum 1183 retulerunt. Simile dissidium inter constitutiones reditus Heraclidarum ex Atticorum et Lacedaemoniorum fastis comparet; quem

illi ad annum 1149 notant, Thrasyllus autem anno 1114, Eratosthenes anno 1103 adsignavit. Ita fit, ut accuratissimae illorum temporum rationes earum Graeciae civitatum monumentis nitantur, quae inter omnes primum locum tenuerunt. Nam aeram Troianam, quam Timaeus proposuit, ex corruptis Locrorum fastis elicuit \*), et Crates — nam eius nomen ex Iahnii coniectura apud Censorinum c. 21 reponimus — qui Ilium annis quingentis quattuordecim ante pr. Ol. (1290 a. Chr.) expugnatum esse scripsit, Herodoti calculos revocare voluisse videtur. Democriti et Ephori autem notationes suapte natura exactam terminorum descriptionem non magis affectare potuerunt, quam vaga definitio migrationis Doricae, quam Isocrates instituit (cf. Fischeri f. Gr. p. 26). Et de aliis constitutionibus Troianaee expeditionis et redditus Heraclidarum certa fama ad nos non pervenit. Sed antiquissimorum temporum rationes praesertim a senioris aetatis scriptoribus variis modis subductae sunt. Nam postquam Alexandrini eas quam maxime ad aetatum mensuras exegerant, exstiterunt, qui omnia ideo commutarent et perturbarent, ut vetustorum Asianorum regnorum notationibus Graeca tempora ullo modo exaequarent.

Et ab hoc genere eorum chronographorum studia non multum abesse videntur, qui Macedonum et Romanorum initia cum eximiis Graecarum rerum momentis composuerunt. Quae omnia cum ita sint, nemo infitias ibit ne probatissimis quidem temporum veterum rationibus Graecorum magnam fidem adiudicandam esse, praesertim cum videamus non solum fastos regum Romanorum, qui non diu ante Q. Fabii Pictoris aetatem contexti fuerint, verum etiam Corinthiorum Heraclidarum tabulas, quibus Alexandrini usi sunt, tanta cum arte adornatas esse, ut aequis rationibus bipartitae, bellissimam partium proportionem exhibeant. Etenim tam lepidum et tam singulare genus temporum emendationis iam ab Hellanico inventum, mox a multis adamatum et usurpatum fuisse videtur.

---

\*) Cuiusmodi necessitudo fuerit, qua Timaeum cum Locris coniunctum fuisse pleraque fragmenta (cf. fr. 64 sq.) produnt, non satis liquet. Quod supra p. 26 posui, nunc video probari non posse.

